

MATHIAE BREDEMBACHII KERSPENSIS, APVD EMBRICAM SCHOLAE MODERATORIS, Apologia de eo, quòd quibusdã visus est, in suo de dissidiis in religione componendis libello, acerbiùs in Martinum Lutherum scripsisse.

HVIVS APOLOGIAE LVCE MIrificè illustratur illa componendorũ dissidiorum ratio: fugatúrque, & euanescit umbra illa, quam nuper lucifuga quædam Thessalis Erichtho, ab inferis euocatam, in eundem Mathiam Bredembachium incitauit.

COLONIAE,
Apud Maternum Cholinum,
Anno 1557.

Epistolâ eâ quæ præfixa est secundæ æditioni libelli huiusce authoris, de dissidijs in religione cōponendis, nuncupatur & hæc etiam Apologia Illustrissimo principi ac Duci Iuliacensi, Cliuensi, Montensi, Comiti Marchiæ, ac Rauenspurgi, Domino in Rauenstein, &c.

MATHIAE BREDEMBACHII KERSPENSIS, APVD EMBRI-cam Scholæ moderatoris, Apologia.



Vper, cùm de dißidiis in religione ab aduersario noſtro & capitali hoſte diabolo, anno ab hinc retrò quadrageſimo excitatis, atq; interea in immẽſum auctis, inciperem ſcribere, & rationẽ inueſtigare, qua hæc tandem aliquãdo poſt calamitates tã multas atq; acerbas queant componi, nõ ignorabam, viri ac fratres in Chriſto Ieſu mihi charißimi, quantam rẽ aggrederer: & quàm graue bellum ego, dum vobis pacẽ ſtudeo comparare, cum hoſte omnium teterrimo & crudelißimo ſuſci-

 perem

Diabolus, disſidiorũ author.

perem. Nam quemadmodum ille nihil aliud quærit iam tùm ab ipſo initio, quàm perniciem & exitium generis humani: neq; ignorat, nihil nobis eſſe pernicioſius mutuis inter nos odiis atque diſſidiis: ideoq; ad hoc omnes ſuas artes, dolos, conatus, & machinationes explicat & verſat aſsiduè, vt diſſciſſa ac diſturbata pace, illa inter nos excitet: ita nullos homines acerbiùs odit, & perſequitur grauiùs, quàm eos, qui ſub illo Principe pacis Domino noſtro Ieſu Chriſto militantes, ea quæ ſunt pacis publicæ, hoc eſt, ſalutis omnium hominum, quærunt. In hos non ſolum ſua ipſius exacuit, vibrat, atque cõtorquet ſpicula: nec ſolum ſuos immittit ſatellites, homines perditos, inimicos crucis Chriſti:

Pacis & pacificorum hoſtis.

ve-

verumetiam miris quibuſdam artibus per effoſſos cuniculos in illorũ animos irrepit, qui alioqui non ſunt mali, imò etiam amantes pacis, ſed rerum ad pacem pertinentium imperiti, vt & hos commoueat aduerſus ſui amantiſsimos, & pro ipſorum pace atque ſalute vigilantes, excubantes, & cum capitum ſuorum periculo depugnantes. His artibus nunc etiam me per aſtutias incredibiles adortus eſt: adeò vt etiam amicos meos & proximos meos huc incitauerit, vt aduerſum me appropinquauerint ac ſteterint. Sed DEO Optimo Maximo laus, honor, victoria, & gloria, qui mihi tendiculas illius ſceleſti indicauit, atque rationem monſtrauit, vt illum ſuis retiis &

Artes & verſutiæ diaboli.

laqueis capturus ſim, & quemadmodum olim Hercules Cerberũ, in omnium conſpectum protracturus. Attendite, quæſo, viri fratres, & pcipite, quos ille verſet dolos, quos poſuerit laqueos, quæ retia tetenderit: & quàm doloſam ad hæc apprehenderit occaſionẽ: atque magna cum voluntate veſtra videbitis hæc omnia in illum ipſum ſceleſtum conuerſa, illum ſuis ipſius laqueis mirabiliter irretitum & captum. Scripſi in meo de diſsidiis componendis libello inter cætera de Martino Luthero, per quem crudeliſsimus ille ſic diſturbauit Eccleſiæ pacem, hæc verba: Hac ſica adhuc graſſatur in terris, cùm ipſe ardeat apud inferos. Ex hoc verbo arripuit occaſionem malignus ille, exci-

Incidit in foueã quã fecit.

Locus in calumniã raptus.

excitandi in me, non ſolum ſuos ſatellites, apertos hoſtes, verum- etiam ex amicis meis viros bonos ac ſimplices, vt putarent me hîc grauiter peccaſſe aduerſus illud præceptum Domini, Nolite iu- dicare, & non iudicabimini: no- lite condemnare, & non con- demnabimini. Et aduerſus il- lud, Mortuo non prohibeas gra- tiam. Sed Deus excæcauit illum perditum, vt non videret, quàm commodam mihi hic daret occa- ſionem docendi ſimplices illos & imperitos, quæ ſit illorum ver- borum genuina ſententia: & quid ipſi debeant ſentire de Luthero: & quomodo iudicare de omni- bus illis, qui factis Lutheri ſimilia perpetrauerint. Quibus omni- bus mirum in modum illuſtrabi-

Matt. 7.

Eccle. 7.

In ipſum calumniatorem cõuerſus.

 tur

turilla profligandi illum diſſidiorum authorem hoſtem : atque dulciſſimam Eccleſiæ pacem recuperandi ratio, quam in meo illo libello demonſtraui. Quod ad verbum Domini attinet, quo ait, Nolite iudicare, nequaquam ea fuit ſententia Chriſti, vt nobis omnem poteſtatem iudicandi, etiam de illis, quæ manifeſta, & nobis perſpecta ſunt, adimeret: ſed vt moneret, ne iudicaremus temere, condemnantes ea quæ neſcimus, quo animo, qua cauſa, & in quem finem fiant: cũ iuſtiſſimis da cauſis in optimum finem fieri queant. Hanc eius fuiſſe & eſſe ſententiam, nobis vel vnus Auguſtinus luculentiſſimis verbis, atque adeo latè explicuit ac demonſtrauit libro 2. de ſermone Do-

Nolite iudicare, quomodo intelligendum.

Domini in monte, admonens in primis obſeruare, ex qua occa ſione dixerit illa Dominus. Nã cùm in fine capitis ſexti dixiſſet, Nolite ergo ſoliciti eſſe in craſti num, &c. ne quis hæc peruerſa ſuperſtitione interpretando con demnet eos, qui iuſtis laboribus comparãt, & frugali prudentia cõ ſeruant, vnde ſe ac liberos ſuos ſuſtentent, & egenis incidente neceſſitate ſuccurrant, quaſi hęc vetuerit hoc pręcepto dñs: ne qs, inq̃, ſic interp̃taretur dictũ, ſtatim ſubiecit, Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condẽ nare, & non condemnabimini: Hoc diuus Anguſtinus cõfirmat his verbis: Hoc loco nihil aliud nobis pręcipi exiſtimo, inquit, niſi vt ea facta, quę dubiũ eſt quo

animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Quod enim ſcriptum eſt, Ex fructibus eorum cognoſcetis eos: de manifeſtis dictũ eſt, quę non poſſunt bono animo fieri: ſicut ſunt ſtupra, vel blaſphemiæ, vel furta, vel ebrietas: & ſi qua ſunt alia, de quibus nobis iudicare permittitur, dicente Apoſtolo, Quid enim mihi de his qui foris ſunt iudicare? Nónne de his qui intus ſunt vos iudicatis? De genere autem ciborum, quia poſſunt bono animo, & ſimplici corde ſine vitio concupiſcentiæ, quicunque humani cibi indifferenter ſumi, prohibet idem Apoſtolus iudicari eos, qui carnibus veſcebantur, & vinum bibebant, ab eis qui ſe ab huiuſmodi alimentis temperabant. Qui manducat, inquit,

Quæ dubia, in meliorẽ partem interpretanda.

1. Cor. 5.

inquit, non manducantem non ſpernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet. Ibi etiam ait: Tu quis es qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat aut cadit. De talibus enim rebus, quæ poſſunt bono animo & ſimplici & magnanimo fieri, quãuis etiam poſſint non bono, volebant illi cùm homines eſſent in occulta cordis ferre ſententiam, de quibus ſolus Deus iudicat. Ad hoc pertinet etiã illud, quod alia loco dicit, Nolite ante tempus iudicare, quouſq; veniat dominus, qui & illuminabit abſcõdita tenebrarũ, & manifeſtabit cogitationes cordis: & tũc laus erit vnicuiq; à Deo. Sunt ergo quędã facta media, quę ignoramus quo animo fiant: quia & bono & malo fieri poſſunt; de qui-

Rom.14.

1. Cor.4.

quibus temerarium eſt iudicare, maximè vt condemnemus. Horum autem veniet tempus, vt iudicentur, cùm Dominus illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit cogitationes cordis. Hæc ibi Auguſt. ex quibus multa diſcere poſſumus, omni loco ac tẽpore vtiliſsima. Noſtrâ hac, eheu nimium turbulenta tempeſtate, videmus quàmplurimos, qui nõ ſolùm delectum ciborum ab Eccleſia ieiuniorũ tẽporibus præſcriptum, verumetiam ipſa ieiunia in vniuerſum repudiant: idq́; adeò nulla neceſsitate, nẽpe quòd propter vel imbecillitatem corporis, vel grauitatem laborum, vel alias ob cauſas legitimas ea ferre non poſsint: ſed ex mera contumacia, etiam in contumeliam Eccleſiæ

In ieiuniorum cõtẽptores.

palàm

palàm veſcentes carnibus illis diebus, quibus id vetuit Eccleſia: aliis autem diebus, quibus non ieiunat Eccleſia, veſcuntur piſcibus. Hoc certè peſsimo faciunt animo: ideoq́ue non effugient iudicium Dei. Alii verò veſcuntur illis, quibus ſentiunt ſibi opus eſſe pro ratione valetudinis ſuæ, idque ex conſilio vtriuſque medici, vt dici conſueuit, exponentes paſtoribus animarum, ſub quorum cura viuunt, neceſsitatem ſuam, atque huius rei pacem ab illis tanquàm præpoſitis ſuis petentes. Hi adeò non peccant, vt etiam laudem mereantur, tum propter obedientiam, qua agnoſcunt ſuos præpoſitos, iuxta præceptum Apoſtoli Heb.13. tũ ꝓpter rectũ de deo patre noſtro, & Eccleſia ſponſa eius

Quibus rationibus quibuſlibet ueſcẽdum.

eius, noſtra matre, iudicium: intelligentes & agnoſcentes, hanc ex voluntate ſponſi, in ſpiritu ſancto ordinauiſſe ita de ieiuniis & conſtituiſſe, non ad perniciem, ſed ad ſalutem filiorum ſuorum, ſcientes idem ſentiendum eſſe de ieiuno, quod Dominus dixit de Sabbatho. Sabbathum, inquit, propter hominem factum eſt, & non homo propter ſabbathum. Hoc rectum de ſe ac ſponſa ſua Eccleſia iudicium Deo gratiſſimum eſt. Nos autem ſi tempore ieiunii fortè incidamus in aliquẽ, qui aliis veſcatur q̃ habeat ſtatutũ Eccleſiæ, neque ſciamus qua de cauſa ille hoc faciat, vtrũ quòd cõtẽnat mãdatũ Eccleſiæ, quod Salomõ vocat legem matris deſpicere, an quòd

AEquitas Eccleſiæ in mandãdo ieiunia.

Mar. 2.

Qua prudentia vtendũ, cũ videmus aliquos veſci contra ſtatutum Eccleſiæ.

pro-

propter occultas cauſas,puta imbecillitatem corporis, aut ſimile aliquid opus habeat ita facere, iam charitas Chriſtiana,tam ergo Deum patrẽ noſtrum,& mandata eius, atq; Eccleſiam matrẽ, & huius legem, q̃ erga proximum noſtrum, quem veſcentem videmus,poſtulat,vt neq;temerè iudicemus,ſeu condemnemus veſcẽtẽ,neq; quod facit temerè approbemus:ſed niſi aliud recta ratione ſuadeant circumſtantiæ,verecundè,placidè, & modeſtè ſignificatio dãda eſt, ſiue ciuili aliquo, &charitatem redolente verbo,ſiue vultu non ad hoſtilem iracundiam,ſed amicum dolorem compoſito,ſiue quacunq; ratione alia id pro conditione noſtræ illiuſq; perſonæ,cæterarũq; circunſtãtiarum,

rum, commodissimè fieri poterit, nobis non placere vim fieri mandato Ecclesiæ: & quod videmus, nos non sine dolore videre, donec rationem eius intellexerimus. Quo nostro dolore animaduerso si ille motus, vltrò nobis rationem facti sui aperiat, petens ne quid offendamur suo cibo: quò ratione valetudinis suæ ex consilio medici, aut etiã suo ipsius experimento, & cum pace sui pastoris vescatur: iam possumus etiam liberè laudare quod facit, & exhortari, vt in illa sana rectáque sententia perstans, ea quæ sibi sunt salutaria facere pergat. Nam quod Apostolus Paulus scribit Romanorum 14. Is qui manducat, non manducantem non spernat: & qui non manducat, manducantem

Locus Epistolę ad Romanos interpretat'

ducantem nō iudicet, id nihil pertinet ad eos, qui vel manducant, vel non manducant contra pręceptum Ecclesiæ de ieiuniis: sed ad illius temporis Christianos, quorum plurimi erant in ea sententia, vt putarent non decere hominem Christianū tantum indulgere carni suę, vt eā lautioribus cibis ac potibus, quales sunt carnes & vinum, pascerent. Vnde Timotheus erat admonendus à Paulo, vt pro aquæ potu, modico vino vteretur: & sancta illa martyr Blandina apud Eusebium libro 5. Historiæ Ecclesiast. cap. 1. per quæstiones torta vt confiteretur christianos vesci in suis sacris infantum visceribus, respondit: quid putatis, ô viri, infantum visceribus vesci eos, qui ne mutorum quidem a-

nimalium carnibus veſcuntur? Ex quorum ſententia etiam Prudẽtius in hymno ante cibum ſcripſit,

Abſit enim procul illa fames,
Cædibus ut pecudum libeat
Sanguineas lacerare dapes.
Sint fera gentibus indomitis
Prandia de nece quadrupedum.
Nos oleris coma, nos ſiliqua
Fœta legumine multimodo
Pauerit innocuis epulis.

Qui hac religione à carnibus, vino, cęterisq; lautitiis abſtinebant, hos Paulus non vult ſperni ab illis, qui quibuslibet veſcebantur: neq; eos qui veſcebãtur, ab his qui per religionem abſtinebant, iudicari. Sic etiamnum nos, qui libertate Chriſtiana vtentes, veſcimur carnibus (extra ieiuniorum duntaxat dies) non ſpernimus, ſed vene-

ramur etiam religioſos mona-
chos, & virgines monachas, in
monaſteriis ſuis perpetuò à carni
bus abſtinentes: neque illi nos iu-
dicant libertate noſtra vtentes. Ni
hil itaq; illa verba Pauli, ac ne Do-
mini quidẽ verba quæ, ſunt apud
Euangeliſtam de non iudicando,
pertinent ad Eccleſiæ ſtatuta, de ci
borum delectu temporibus ſolen
nium ieiuniorum indicto. Vnde Per contu
ſi ille quem nos (vt paulò antè di- maciā ve-
ximus) vetitis veſcentem depre- ſcentes.
henderimus, glorietur etiam in fa
cto ſuo, & per ludibrium nos ad
veſcendum ſecum inuitans, con-
uitiis eos inceſſat, qui ieiunandi
leges præſcripſerunt populo Dei,
& ſuperſtitioſos papiſtas appellet
eos, qui illorum legibus obtempe
rãt, iam ipſe prodit animi ſui mali

tiam: ideoq; recto & iusto iudicio factum illius iudicare & condemnare possumus, imò etiam debemus. Quod nisi fecerimus, participes efficiemur peccati illius. Corripiendus est enim iuxta praeceptum domini, principio inter te & ipsum solum: deinde, si te recusauerit audire, adhibito vno vel duobus. Quòd si etiam hos audire noluerit, deferendus est ad Ecclesiam. Hanc porrò si contempserit audire, iam per omnia iudicabis, & cõdemnabis eum tanquàm ethnicum & publicanum. Hęc est doctrina domini manifesta apud Euangelistam Matthęum. Et Paulus Apostolus grauissimè praecipit suo Timothaeo, dicens, Peccantes coram omnibus argue, vt & cęteri timorem habeant. Idem in eodem

Matt. 18.

1. Tim 5.

dem

dem capite: Quorundam hominũ peccata manifesta sunt, inquit, pręcedentia ad iudiciũ: quorundã autem sequuntur. Manifesta ea dicit (inquit Augustinus) de quibus clarum est, quo animo fiant. Hæc præcedũt ad iudicium, id est, quia si fuerit ista subsecutum iudicium, non est temerarium. Subsequuntur autem illa quæ occulta sunt, quæ nec ipsa latebunt tempore suo. Sic & de bonis factis intelligendum est. Nam ista subiunxit: similiter & facta bona manifesta sunt: & quæcunq; aliter se habent, abscondi non possunt. De manifestis ergo iudicemus: de occultis verò Deo iudicium relinquamus: quia & ipsa abscondi nõ possunt, siue mala siue bona, cum tempus aduenerit, quo manifestẽ tur.

De manifestis iudicandum.

tur. Ita D. Augustinus edisserit nobis præceptum illud Domini, Nolite iudicare. Idem in libro expositionis quarundam propositionum ex Epistola ad Romanos, propositione 79. ita scribit: Quod autem dicit, Tu quis es qui iudicas alienum seruũ? ad hoc dicit, vt in his rebus quę possunt & bono animo fieri, & malo, iudiciũ Deo dimittamus, nec audeamus de alterius corde, quod nõ videmus, ferre sententiã. In his verò rebus, quæ ita comprehẽduntur, vt eas bono & casto animo non posse fieri manifestum sit, non improbatur si iudicemus. Itaque hoc quod de cibis dicit, quia ignoratur quo animo fiat, non vult nos esse iudices, sed Deũ, de illo autẽ nefario stupro, vbi vxorẽ patris sui quidã habuerit,

rit, pręcepit debere iudicari. Nõ enim poterat ille dicere, bono añimo se tam immane flagitiũ cõmisisse. Ergo quæcunq; facta ita manifestãtur, vt nõ possit dicere, Bono aĩo feci, iudicãda sunt à nobis: quæcunq; aũt ita fiunt, vt quo aĩo fiant incertũ sit, nõ sunt iudicãda, sed seruanda iudicio Dei, sicut scriptũ est, Quę occulta sunt, Deo: quę autẽ palàm sunt, vobis & filiis vestris. Hęc ibi tam luculenter & grauiter Augustinus, vt ego iam admiraturus sim, si quis tam sit cæcutientibus oculis, vt non videat, quàm nihil illud præceptum Domini pertineat ad me, de vita atque doctrina Martini Lutheri meam sententiam pronunciantẽ: cuius tum flagitiosissima vita, tum pestilentissima dogmata iam per

De sceleribus Martini Lutheri, quòd hæc toti mundo

per tot annos toti mundo innotuerunt: atque à tam multis doctiſsimis, probatiſsimis, adeoque ſanctis viris: imò ab omnibus academiis, in quibus modò priſca illa, antiqua, & verè Chriſtiana Eccleſiaſticaque doctrina retinetur, ſunt condemnata. Quinetiam condemnauit illum vnà cum doctrina ſua, ſummus Eccleſiæ paſtor, & ordinatione ipſius Chriſti ſupremus in terris iudex Leo Pontifex, eius nominis decimus, iudicio publico, non ſua vnius, ſed totius Senatus Cardinalitii, plurimorum Epiſcoporum, aliorumque doctiſsimorum virorum ſententiis. Quæ cōdemnatio recepta & approbata eſt ab Imperatore Carolo Quinto, ac toto Imperio Noribergæ in Comitiis Anno ſalutis

ſunt nota, nihil prohibet iudicare, præſertim cum iam ſint condemnata.

lutis

lutis 1520. Deinde etiam à generali Concilio Tridentino. Illi ſunt qui condemnauerunt Lutherũ. Quorum ſententiam ſi ego ſecutus illum pro cõdemnato habeo, & in ea condemnatione ſine reſipiſcentia pœnitentiaq; mortuum, apud inferos ardere credo, an idcirco pecco aduerſus præceptum illud domini, Nolite iudicare? Obſecro te Chriſtiane lector, expende mihi hæc æquo, ſapiẽti, ac recto iudicio, vtrum ille qui ratũ habet iudicium eorum, qui ſedent in illis cathedris ac tribunalibus, qui iuxta ordinationem ipſius filii Dei DOmini noſtri Ieſu Chriſti ſupremũ locum in ciuitate DEI obtinent, & quibus ipſe filius DEI dixit, Qui vos audit, me audit: vtrum is, inquam, qui horum iudicium ratum

Non q cõdemnant. ſed qui abſoluũt Lutherum, peccãt aduerſus p̃ceptũ de non iudicando.

 tum

tum habet, peccat aduerſus illud, Nolite iudicare:an illi potius, qui cùm nullam habeāt authenticam cathedram, nullum legitimū tribunal, nullam ordinariā poteſtatem iudicandi, præſertim in talibus cauſis, tamen per ſeditioſam quandam cōtumaciam abſoluūt, imò etiam præmio & honore dignū iudicant eum, qui propter plurima, enormia, eademq́ue toti mundo nota crimina, codēnatus eſt ab illis tot atq; tantis iudicibus ordinatione diuina ad iudicādum conſtitutis: eaq́ue ratione & contumaci ſuo facto, ipſi ſemetipſos conſtituunt iudices illorum, quorum iudicio ipſi ordinatione diuina ſubiecti ſunt, iudicium ſibi ſumentes in ſuos iudices, imò verò (quod rectè admonet Diuus

Cyprianus) in ipſum Deum, qui iudicia hæc ordinauit. Vtrum, inquam, hi peccant aduerſus præceptum Domini de non iudicando, an ille, qui illorum, quos Deus conſtituit iudices, iudicio, atq; in hoc ipſo ipſius Dei iudicio acquieſcit, præſertim cùm videat illorum iudicium tot rationibus & ſcripturis irrefutabilibus, atque illius quem illi ſuo iudicio condemnauerunt, tot atq; tam manifeſtis tum vitæ tum doctrinæ peccatis comprobari? Quid autem dicemus, quod etiam ipſa tota Eccleſia Dei catholica in Oecumenicis cõciliis ea quæ fecit ac docuit Lutherus, iam ante multa ſecula condemnauit: condemnauerunt ipſi Prophetæ & Apoſtoli: condemnauit in his omnibus Deus ipſe per ſpiritum ſuum,

Epiſtola, lib. 1.

Tota Eccleſia condemnauit Lutherũ.

ſuum, qui ſemper in talibus iudicibus loquitur, eorum iudicia gubernans: ne videlicet non ſatisfiat promiſsioni, quã fecit in Deuteronomio, dicens, Qui iudicabunt tibi iudicii veritatem. Hęc ſi non ſatis in meo illo libello de cõponendis diſsidiis demõſtraui, demõſtrabo hic copioſius & abundantius. Eſt enim hoc omnino cognitu neceſſarium. Impoſsibile enim eſt, vnquam fieri pacem in Eccleſia, niſi Luthero cum ſua doctrina nõ ſolum cognito & condemnato, verumetiam penitus extirpato. Hoc ſi mihi nõ creditur, credatur Luthero ipſi, ſcribenti ad Philippum Melanthonem in epiſtola conſolatoria, cum hic eſſet Auguſtæ in comitiis, Anno ſalutis 1530. vt lib. 7. commentariorum refert

Fruſtrà ſperatur pax, dum toleratur doctrina Lutheri, ipſo Luthero teſte.

Ioan-

Ioannes Sleidanus. Ibi hæc sunt ipsius Lutheri verba, Quod ad cõciliationem attinet, frustra speratur: Nec enim nos Pontificem loco deturbare possumus, neque vera doctrina, saluo Pontificatu incolumis esse potest. Hic verissima est eius propositio, qua dicit frustra sperari conciliationem. Impossibile enim est Lutheri doctrinã tot modis hæreticam & impiã, cum doctrina Ecclesiæ catholicæ conciliari. Ratio verò, quam ille subiungit bipartitam, priori sua parte etiam vera est. Quamdiu enim in his terris erit Ecclesia, tam diu erit in ea Pontifex.

Hũc neq; Lutherus, neq; vllus hæreticus deturbare poterit. Neq; enim potest esse aut fieri irritum verbum Domini, quo dixit: Tu es Petrus Matth. 16.

Petrus: & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Et illud, Ego autem pro te oraui, vt non deficiat fides tua. Altera autem parte, qua dicit, neque vera doctrina ſaluo pontificatu incolumis eſſe poteſt, falſa eſt. Potuit autem & hæc vno duntaxat verbo permutato fieri vera, ſi pro eo quod dixit, vera, dixiſſet, noſtra, ſuam videlicet doctrinam ſignificans. Nam ad hoc ipſum Chriſtus inſtituit pontificatum, vt explodatur doctrina falſa: vera autem incolumis conſeruetur. Atque huius, cæterorumque quæ ad conſeruandam pacem & vnitatem in Eccleſia pertinent, gratia, vult pontificatum permanere in ipſa Eccleſia, vſque ad conſummati

mationem ſeculi. Et portæ inferi, inquit, non præualebunt aduerſus eam. Hac ratione ego inductus, cum de componendis in religione diſsidiis inſtituerem ſcribere, in primis neceſſarium eſſe iudicaui, demõſtrare, qualis tum vita, tum doctrina fuerit illius hominis, qui nobis diſsidia hæc excitauit: vt his cognitis & profligatis, locus detur paci & concordiæ conſtituendæ. Quemadmodum enim impoſsibile eſt, in ea Republica conſtare pacem, in qua tolerantur ſeditionum authores, qui etiam ex profeſſo concitant imperitam plebem aduerſus Conſulem atque vniuerſum Senatum ciuitatis: aut in ea domo, in qua faber aliquis aut foſſor inſurgit

git aduersus Oeconomũ domus, cui peregre proficiscens paterfamilias commendauit curam & gubernationem domus atque totius familiæ: ita nullo modo fieri potest, vt pax fiat in Ecclesia, dum illi tolerãtur in ea, qui seditiosa doctrina concitant populum aduersus ipsius Ecclesiæ summum pastorẽ, & vniuersum illũ ordinem, cui gubernatio eius diuinitus est commendata. Tales itaq; in primis necessariũ est iudicare, & cum sua dolosa seditiosáque doctrina ita describere, vt ab omnibus cognoscãtur. quinetiam illorum finem demonstrare necessarium est, vt alii videant & extimescant, formidentque patrare similia. Conturbati sunt omnes qui videbãt eos,
Psal. 63. inquit Propheta Dauid, & timuit omnis

omnis homo. Et annunciauerunt opera Dei: & facta eius intellexerunt. Eiusdem iustitiæ est, benè merentes de republica ciues præmiis afficere, & euersores reipub. suppliciis. Eiusdē incredulitatis & impietatis est, non credere Deo minanti supplicia impiis, & nō credere eidē promittenti pręmia piis. Est aūt disertissimis verbis expressa sententia Domini, Ioānis quinto. Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionē vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionē iudicii. Et Matthæi 25. Et ibunt hi in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternam. Et apud eundem 13. Colligite primùm zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum. Et Ioannis 15. Si quis in me non manserit, mitte-

tur foràs ſicut palmes,& areſcet:& colligent eũ,& in ignẽ mittent, & ardet. Ecce quid clarius his verbis dici poteſt? Qui nõ manet in Chriſto, mittetur foràs: præterea in ignẽ,& ardet. Quid eſt non manere in Chriſto? Quid aliud, quã non eſſe viuum & efficax membrum corporis Chriſti, quemadmodum palmes viuus ac fructifer ramus vitis? Quid autem aliud eſt corpus Chriſti, quàm Eccleſia Dei Catholica, cuius ipſe eſt caput? Nónne hæc eſt caro eius? Nos autem ſumus membra corporis eius, de carne eius, & de oſsibus eius, inquit ad Epheſios Apoſtolus. Qui igitur manet in Eccleſia, is manet in Chriſto: & qui in Eccleſia operatur bonum, is eſt palmes fructifer, dignus purgatione, vt copioſiorem

In Chriſto manere quid.

Eph. 5.

ſiorem fructum proferat. Qui verò vel ſeipſum per hæreticam ſchiſmaticamq́; doctrinam ab hac ſeparat, vt faciunt omnes hæretici & ſchiſmatici: vel qui propter flagitioſam vitam per eos qui claues habent, ab ea excluduntur, quemadmodum Corinthius ille 1. Corinth. 5. (tametſi tales quidem nõ ſine miſericordia abſcindit pientiſsima mater Eccleſia: ſed potius ad pœnitentiam eos inuitat, tradens eos Satanæ ad interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini noſtri Ieſu Chriſti, exemplo ſponſi ſui non optans mortẽ peccatoris, ſed vt cõuertatur & viuat: reſipiſcentes autẽ & reuertentes in gratiam recipit, vt Paulus illum 2. Corinh. 2) vel per acediam nullũ fructum ferunt, vt ipſe pater cœ-

leſtis, tanquàm induſtrius agricola, eos tanquàm inutiles palmites amputet ac tollat, hi non poſſunt manere in Chriſto. Quid igitur aliud reſtat, quàm vt reſecti à vite, & collecti in faſciculos, mittantur in ignem & ardeant? Arca Noë quid aliud erat, quam typus Eccleſiæ Dei? Satis hoc indicat ille Princeps Apoſtolorum Petrus, & multis locis explicat Auguſtinus, & alii quàmplurimi. Quemadmodum igitur neceſſe erat perire omnes, qui non erant in illa arca, ita neceſſe eſt perire omnes, qui non manent in Eccleſia. Hinc eſt quod in libro de fide ad Petrum diaconum cap.38. firmiſsimè credendũ, nec vlla ratione dubitandum eſſe affirmat, non ſolum omnes paganos, ſed etiam omnes Iudęos, hæreticos

Extra Eccleſiā nulli ſperāda ſalus.

1.Pet.3.

reticos atq; ſchiſmaticos, qui extra Eccleſiam catholicam hanc finiũt vitam, in ignem æternum ituros. Et capite ſequenti, eadem conſtã-tia affirmat, quemlibet hæreticũ ſiue ſchiſmaticum in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti baptizatum, ſi eccleſiæ catholicæ non fuerit aggregatus, quantaſcunque eleemoſynas fecerit, et ſi pro chriſti noĩe etiã ſanguinẽ fuderit, nulla tamẽ ratiõe poſſe ſaluũ fieri. Quòd ſi quis obiiciat, eum librum non eſſe Auguſtini, cum hoc nihil opus eſt contentionem ſuſcipere ad cõfirmandum id quod hic agimus: cum in aliis libris quàmplurimis, qui extra omnem controuerſiam ſunt eius, eandem ſententiam defendat. Sed adeò nobis vbiq; ſunt obuia de hac re tum ipſius ſcriptu-

ræ diuinæ, tum ſanctorum Patrũ teſtimonia, vt ne ipſi quidem aduerſarii audeant negare, extra Eccleſiam nemini ſperandam eſſe ſalutem. Apologiæ confeſsionis Auguſtanæ hæc ſunt verba: Neque verò promiſsio ſalutis pertinet ad illos, qui ſunt extra Eccleſiam chriſti. Idcirco hac quidem parte inter nos conuenit: in controuerſiam autem ſubit, quæ ſit Eccleſia vera. Hanc enim nos nobis, iſti verò ſibi vendicant. Atque hæc iam tanta eſt controuerſia, vt vix integro volumine videatur explicari poſſe. Nobis autẽ compendio eſt opus. Quanquam verò in libello de componendis diſſidiis nos ita eam deſcripſimus, vt non putauerimus, quemquã fore tam ſtupidum, qui ita deſcriptam

Quę ſit vera eccleſia

non

non esset facilè agniturus, tamen cùm ea nos opinione falsos esse videamus, studebimus hîc etiam clarius eam demonstrare. nam quod nonnulli somniant, eam esse inuisibilem, illa est planè diabolica persuasio, qua tartareus ille hostis miseros in desperationem abducit, quasi nõ possint inuenire eam, ad quam confugiant, vt salui fiant. Imò ciuitas est regis magni, cuius fundamenta sunt non in obscura aliqua valle, vt non possit videri aut inueniri, sed, vt de ea cecinit Dauid, in montibus sanctis, vt etiam ab alienigenis, Tyro, & populo Aethiopũ videri, inueniri, & adiri possit. Non potest, inquit Dominus, ciuitas abscondi supra montẽ posita. Abeant igitur isti quò digni sunt cũ sua illa inuisibili

Psal. 86.

Matt 5

ſibili Eccleſia. Nos credimus in Deum patrem, & in vnigenitum filium eius Ieſum Chriſtum, & in ſpiritum ſanctum. Deinde credimus Eccleſiam ſanctam catholicam, non occultam, & in obſcuro aliquo angulo abſconditã: ſed ſuper montem ædificatam, vt ſit omnibus conſpicua. Hanc noſtri doctores nobis rudibus definiunt atque deſcribunt hoc modo: Eccleſia eſt cunctorum Chriſtifidelium congregatio: pro qua Chriſtus in carne cuncta & fecit & pertulit, vt eam ſanctificaret, teſte Apoſtolo Epheſ. 5. in qua vna eſt fides, vna cõcors & conſonans fidei doctrina, eadem per totam hanc Eccleſiam ſacramenta, eorundemq́; eadem adminiſtratio: vnitas ſpiritus in vinculo pacis: in qua omnes

Eccleſiæ definitio.

ſe

ſe tanquam vnius corporis membra, mutuis officiis ſufferunt, idq́; per charitatem, iuxta doctrinam Apoſtoli Epheſ. 4. Charitatem, inquam, quod verbum Apoſtolus identidem repetit & inculcat. Hæc enim eſt vinculum illud perfectionis, ac veluti neruus, quo ſolo membra corporis huius inuicē connectuntur. Charitas eſt, quam nemo extra Eccleſiam habere poteſt. Vnde Diuus Auguſtinus contra Creſconium grammaticū lib. 2. cap. 13. dicit, baptiſmum quidem ſacramentum eſſe nouæ vitæ ac ſalutis æternæ: ſed quem multi habeant non ad vitam æternam, ſed ad pœnam æternā, non benè vtentes tanto bono. Charitatem verò ſanctam, inquit, quę eſt vinculum perfectionis, nemo poteſt habere

Charitas.

nō bonus: nemo qui habet poteſt eſſe vel ſchiſmaticus vel hæreticus. Charitas authore Apoſtolo, omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Neque alia eſt ratio, quòd tam multi ab Ecclesia deficiunt, quàm quòd à charitate exciderunt. Nolunt tolerare malos, quos ſemper ab initio mūdi charitas tolerauit in Eccleſia: atq; ideo prætextu zeli iuſtitiæ ſegregant ſe ab Eccleſia: & fiunt multo ſceleratiores illis, quorum ſcelera negant ſe ferre poſſe in Eccleſia. Audiant hi diuum Auguſtinum in epiſt. 162. ad epiſcopos aliquot Donatiſtarum ita ſcribentem: Et obiiciuntur nobis, inquit, crimina malorum hominum, non noſtra, ſed aliena, & ipſa partim incognita: quæ ſi etiā vera & præſentia videre-

1. Cor. 13.

Toleran-di mali.

deremus, & zizaniis propter frumenta parcentes, pro vnitate toleraremus, nō solum nulla reprehensione, sed etiam non parua laude nos dignos diceret, quicunque scripturas sanctas non corde surdus audiret. Tolerat Aaron multitudinē idolū exigentē & fabricātem & adorantē. Tolerat Moyses aduersus Deum tot millia murmurantia, & totiēs offendentia sanctū nomen eius. Tolerat Dauid Saulē persecutorē suū, sceleratis moribus cœlestia deserētē, magicis artibus inferna quærentem, occisum vindicat, Christū etiā Domini propter sacramentum venerandæ vnctiōis appellat. Tolerat Samuel nefandos filios Heli, peruersos filios suos, quos popul⁹ qa tolerare noluit, diuina veritate accusatus, diuina seuerita-

ſeueritate correptus eſt. Tolerat denique ipſum populum ſuperbum contemptorem Dei. Tolerat Eſaias, in quos tam multa vera crimina iaculatur. Tolerat Hieremias, à quibus tanta perpetitur. Tolerat Zacharias phariſęos & ſcribas, quales illo tempore fuiſſe ſcriptura teſtatur. Scio me multos prętermiſiſſe, legant qui volunt, legāt qui poſſunt eloquia cœleſtia, inuenient omnes ſanctos Dei ſeruos & amicos ſemper habuiſſe, quos in ſuo populo tolerarent, cum quibus tamen illius temporis ſacramenta communicantes, non ſolum non iniquinabantur, ſed etiam laudabiliter ſuſtinebant, ſtudentes, ſicut ait Apoſtolus, ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Attendant etiam poſt Domini ad-

Epheſ. 4.

ni aduentum, vbi multo plura huius tolerantiæ per totum orbem inueniremus exempla, ſi omnia ſcribi, & in authoritatem redigi potuiſſent: tamen hæc ipſa quæ habemus aduertite. Tolerat ipſe Dominus Iudam, diabolum, furem, & venditorem ſuum: ſinit accipere inter innocentes diſcipulos, quod fideles nouerũt p̃cium noſtrum. Tolerant Apoſtoli pſeudoapoſtolos, & inter ſua quærentes, non quæ Ieſu Chriſti. Paulus non ſua quærens, ſed quæ Ieſu Chriſti cum glorioſiſsima tolerantia conuerſatur. Poſtremo, quod paulò antè commemoraui, diuina voce laudatur ſub angeli nomine præpoſitus Eccleſiæ, quod cum odiſſet malos, eos tamen tentatos & viuentes pro nomine Apoc. 2

nomine Domini tolerauit. Ad summã seipsos interrogent: Nónne tolerãtur ab eis cędes & incendia Circũcellionum, veneratores pręcipitatorum vltrò cadauerũ, & sub incredibilibus malis vnius Optati ꝑ tot annos totius Africæ gemitus? Parco iam dicere singulorum per Africam regionem & ciuitatum & fundorum tyrannicas potestates, & publica latrocinia. Melius enim vobis hæc vos ipsi dicitis, siue in aurem, siue palàm, sicut libitum fuerit. Quocunq; enim oculos verteritis, occurret quod dico, vel potius quod taceo: neq; hinc istos quos ibi diligitis accusamus. Nõ em̃ nobis displicẽt, q̃a tolerant malos, sed quia intolerabiliter mali sunt propter schisma, propter altare contra altare, propter separatio-

tionẽ ab hæreditate Christi toto orbe diffusa, sicut tãto antè ꝓmissa est: violatã pacẽ, conscissam vnitatẽ, iterata baptismata, exufflata sacramẽta, quæ in sceleratis quoq; hominibus sancta sunt, plangimꝰ & lugemus. Quę si paruipendunt, intueantur exẽpla, quibus demõstratum est, quanti hęc pependerit Deus. Qui fecerunt idolum, vsitatã gladii morte perempti sunt: qui verò schisma facere voluerunt, hiatu terræ principes deuorati, & turba cõsentiens igne consumpta est. Diuersitate pœnarũ diuersitas agnoscitur meritorũ. Hęc ibi August. Quẽ locũ idcirco integrũ asscripsi, quòd in eo videre sit ad viuum etiam expressum exemplar eorũ, quę nostra Germania per hosce annos perpessa est: quorum vtinã habea-

mus

mus finem. Vitia & peccata Curię Romanæ, aut etiam ſummorum pontificum quis vnquam vir bonus probauit? quis defendēda ſuſcepit? imò quis non cum ſummo animi ſui dolore vel vidit vel audiuit? Quã grauiter ea DIUUS ille Bernardus duabus illis concionibus, quas in libello de componendis diſſidiis indicauimus, deplorat? Et tamen illos quantumuis malos, tolerandos nobis eſſe cenſet, dum tolerat illos Deus. Græcia noluit illos tolerare: & nunc cogitur tolerare Turcam. Expendamus obſecro, quãta per hoſce quadraginta annos tolerauit noſtra Germania, poſtquam incitata à Martino Luthero, recuſauit tolerare regnum Pontificis, (ſic enim iſtis placet appellare) Innumera miſerorum ruſtico-

Exemplũ Gręcorũ.

Germanię

ſticorum millia cęſa ſunt, Clariſsimi totius Germanię principes capti ſunt. Quàm multi & quanti Principes in vno ciuili prelio ceciderunt? Quoties inter hęc omnia, dulciſsima hęc patria noſtra incendiis conflagrauit, & inundauit ſanguine? Quæ verò nobis tot atque tantorum malorum extitit cauſa? Quæ alia, quàm quòd ſceleſtiſsimi illius ſeditioſis perſuaſionibus decepti, noluimus imitari exẽpla ſanctorum illorũ, quos illic nobis commemorat Auguſtinus, in tolerandis diſpẽſatoribus myſteriorũ Dei, prætexentes interim zelũ iuſtitię, & tamẽ interea ſumma cũ iniuſtitia bonos pariter cum malis, iuſtos cũ iniuſtis crudeliſsimè perſequẽtes, cum Domin⁹ noſter Ieſus Chriſtus, cuius nomine tãto- Exemplũ ipſi⁹ Chriſti.

D pere

pere gloriamur, cuius Euangelium tam inflatis buccis vbique crepamus atque iactamus, impios Pōtifices, Caiapham, Annam, totumq́; illud concilium tanta cum patientia tolerauerit, vt se etiam iniustissimo illorum iudicio iudicandum permiserit? Quandiu stabat cathedra Moysi, tamdiu voluit tolerari eos, qui in illa sedebant: neque tolerari tantùm, verum etiam omnia quæ imperarent, fieri. Super cathedram Moysi, inquit, sederunt scribæ & pharisæi: omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite. Ea cathedra iam remota, erexit cathedram Petri, quem sibi fecit successorem seu vicarium in pascendis ouibus suis, hoc est, regenda Ecclesia. Quemadmodum igitur

Matt 23.

tur tunc capitale erat, ac ſcelus morte piandum, ſi quis ſuperbiiſſet, nolens obedire ſacerdotis imperio, (morietur, inquit, homo ille, & auferes malum de Iſraël) ita certè iam crimẽ capitale eſt, & propter quod quis tanquam putridũ membrum à corpore Chriſti reſecandus eſt, & tanquam inutilis palmes à vite amputandus, ſi ſuperbiens nolit obedire imperio illius ſacerdotis, qui ſedet in cathedra Petri. Vt enim ea quæ iam diximus de Eccleſia breuiter colligamus, cum hęc ſit cunctorum Chriſtifideliũ cõgregatio, ab ipſo Chriſto ſanctificata, in qua vna fides, vna cõcors & cõſonans fidei doctrina, eadẽ ſacramẽta, eorundẽq; eadẽ adminiſtratio, vnitas ſpiritus in vinculo pacis, oĩbus ſe mutuò ferẽ-

Deut. 17.

Eccleſiæ definitio repetitur, ad cõſtituendũ propoſitionẽ maiorem.

tibus per charitatem, domus Dei, cui ipſe Chriſtus ſuũ præfecit oeconomum, formans eũ ampliſsimis promiſsis, ſi benè præſit: grauiſsimis autem minis territãs, ſi malè, vt videre eſt Lucæ 12. Ouile Chri
Ioan.21. ſti, cui paſtorem præfecit dicens:
Matt.16. Paſce oues meas: Ciuitas Dei, cui præfecit cõſulem, dicens: Tibi dabo claues regni cœlorum, addens huic ſenatum cum authoritate ple
Luc.10. niſsima, dicens, Qui vos audit, me audit, & qui uos ſpernit, me ſpernit: cum, inquam, hæc ſit ve-
Ioan.3. rè Chriſti ſancta & Catholica Ec-
Eph.5. cleſia, ſponſa Chriſti, Qui habet ſponſam, inquit, ſponſus eſt: vna
Gene.2. caro cum Chriſto, os ex oſsibus
1. Tim 3 Chriſti, columna & firmamentum veritatis: nonne qui hanc talem deſerit, huius fidem abnegat,

huius

huius doctrinã impugnat, huius sacramenta contemnit, negat, & si qua ex eis agnoscit, eorum tamen administrationẽ nõ dignatũ ab ipsa Ecclesia recipere, sed ipẽ sibi diuersam pro sua seditiosa libidine fingit, impiè detorquens eò dolosis interpretationibus diuinæ scripturæ verba: qui disciſſo vinculo pacis, & facto seditioso schismate, oeconomũ domus, pastorem ouium, Consulem, & vniuersum Senatum ciuitatis plusquam hostiliter impugnat: qui hæc facit, vtrum ego hunc habebo pro palmite vitis, an pro apro vastante vineam, & singulari aliqua fera depascente eam? vtrum pro membro corporis Christi, an pro Antichristo: vtrum in tantis sceleribus mortuum credã regnare in cœlo cũ Christo Psal. 79.
 sto

ſto, an apud inferos ardere cum Plutone? Metiamur quæſo hac menſura, ad hanc regulam exigamus iſtum lapidem, & videamus, vtrùm magis conueniat ædificio ciuitatis Dei, an portæ infernalis, quæ militat aduerſus hanc ciuitatem? Sed Deo gratias, qui promiſit nobis victoriam, & ſcimus veracem eſſe in promiſsis, vt illa tartarea nihil poſsit aduerſus hanc noſtram cœleſtem. Putabam me in priore libello ſatis demonſtraſſe ſcelera Lutheri. Quando verò id ab iſtis non recipitur, experiamur denuò. Diximus, in Eccleſia DEI catholica eſſe vnam fidem, iuxta verbum Apoſtoli Epheſ. 4. de eademq́ue fide concordem conſonantemq́ue doctrinam, iuxta præceptum

Iacobi

Iacobi Apoſtoli. Nolite plures magiſtri fieri fratres mei. Magiſtros autem tunc plures fieri exiſtimo, inquit Auguſtinus, cùm diuerſa, atque inter ſe aduerſa ſentiunt. Cùm verò idipſum dicunt omnes, & verum dicunt, ab vnius veri magiſtri magiſterio non recedunt. Quod quanti momenti ſit in Eccleſia, intelligens Apoſtolus Paulus, ita ſcripſit ad ſuos Corinthios: Obſecro autem vos fratres per nomen Domini noſtri IESV CHRISTI, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata. Et ad Philippenſes 2. Implete gaudium meum, vt idem ſapiatis, eandem charitatem habentes, vnanimes, idipſum ſentientes, nihil per contentionem, neq; per inanẽ gloriã:

Iacob. 3.
In prologo Retractationũ.
1 Cor.
Philip. 2.

Psal. 132. ſed in humilitate ſupiores ſibi inuicem arbitrantes. Dauid in Pſalmo cecinit, Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, &c. His atq; aliis quàmplurimis ſacræ ſcripturæ locis commendatur nobis vnitas fidei, atq; doctrinę concordia in Eccleſia Dei. Iam verò, quàm longè hac parte receſſerit ab Eccleſia Martinus Lutherus, illi nouerunt, qui dogmatá eius contulerunt cum doctrina & ſententiis omnium Patrum, ſanctorum doctorum, atq; totius Eccleſiæ iam tum ab ipſis Apoſtolorum temporibus. Dixi, & iterum iterũq; dico, inter illas notas, quibus Eccleſia Chriſti differt ab Antichriſti & malignãtium eccleſiis, hanc

Attexitur minór.

hanc esse vnam, eandemque præcipuam, quòd in Ecclesia Christi est vna fides, iuxta verbum Apostoli Ephes. 4. & vna doctrina, iuxta verbum eiusdem ad Philippē. 2. & 1. Cor. 1. vt idipsum dicatis, & non sint in vobis schismata. Neq; hęc fides atque doctrina est noua, nuper inuenta, & per subdolas falsasq; diuinæ scripturæ interpretationes ab hominibus inquietis & seditiosis excogitata, & aliâs alia: sed antiqua, authentica, ab ipsis Apostolis Iesu christi accepta, iuxta verbum eiusdem Galat. 1. Sed licet nos, aut angelus de cœlo euangelizet vobis prętérquam quod euāgelizauimus vobis, anathema sit. Et 2. Thessalon. 2. Itaq; fratres state: & tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per

Fide vna.

Antiqua.

ſtolam noſtram. Et eiuſdem tertio: Denunciamus autem vobis fratres in nomine domini noſtri IESV CHRISTI, vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundum traditionem, quam acceperunt à nobis. His atque huiuſmodi aliis multis commendat nobis vnitatem fidei & doctrinæ: & in hac ipſa virilem planè grauitatem & conſtantiam: nolens nos fluctuare tanquam paruulos, & circumferri omni vento doctrinæ, in nequitia hominũ, in aſtutia ad circumuentionem erroris. Vt autem in hac vnitate fidei, atque doctrinæ concordia cõſtantes permanere poſſimus, tuti atque ſecuri ab omni errore ac deceptione, Dominus noſter Ieſus

Quib' munimentis Deus vnitatem fidei, ac doctrinę cõcordiam muniuerit.

Iesus Christus, cùm ipse iam ascen dissetin cœlum, dedit nobis suos legatos & vicarios, à quibus eam disceremus. Audi enim ad Ephesios scribentem Apostolum: Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò Euangelistas, alios autē pastores & doctores, ad consummationem sanctorum, &c. Atque hi sunt illi montes sancti, in quibus fundamenta Ecclesiæ suæ posuit Deus, teste Psalmographo, cùm ait: Fundamenta eius in montibus sanctis, Psalm. 86. Hi sunt, quorū labia iuxta Malachiæ verbum, custodiunt scientiam, & ex quorū ore iubet nos legē reqrere. Iā verò hi, quos ille nobis sic dedit harū rerū doctores, summā totius fidei redegerūt in admirabile

Ephes. 4

Malach. 2

Symbolū Apostolicum.

quod,

quoddam compendium, duodecim articulis, verbis paucißimis, doctrinam omnium amplißimã complexi. Veruntamen ſapienter & fideliter admonet nos Auguſtinus in lib. de fide & Symbolo Cap. 1. ſub ipſis paucis verbis in Symbolo conſtitutis, plerosq́ue hæreticos venena ſua occultare conatos eſſe: quibus & reſiſtit diuina miſericordia, inquit, per ſpirituales viros, qui catholicam fidẽ non tantum in illis verbis accipere & credere, ſed etiam Domino reuelante intelligere atque cognoſcere meruerunt. Quamobrem nequaquã ſatis eſt ad probandum, quòd aliquis habeat vnam eandemq́ue cum Eccleſia catholica fidem, ſi eadem hæc Symboli verba cum Eccleſia recitet. Hoc enim noſtra hac

ætate

ætate faciũt omnes illæ sectæ, quæ non solum ab Ecclesia catholica, sed etiam à se inuicem in fide magnopere dissentiunt. Vnitas fidei non in verbis, sed verborum virtute sita est. Qui hanc pariter intelligunt atque recipiunt, hi sunt, in quibus verè est vna fides. HOC quo clarius intelligatur, percurramus Symbolum illud, & videamus, vbi Martinus Lutherus vim eius abnegarit, cum tamen professus sit verba. Septẽ prioribus articulis comprehenditur ea fidei pars, qua credimus in Deum patrem, & vnigenitum filium eius Iesum Christum. Videndum est itaque, quomodo in patrem & filium credat Ecclesia, & quid se horum beneficio credat consecutam. Nisi enim hoc agnito, in neutrum verè

Vnitas fidei in quo sit sita.

Fides Lutheri ad regulã Symboli examinata.

Credere in Deum quid sit.

rè quis credere poteſt. Tametſi enim nonnunquam ſcriptura diuina hanc loquendi figuram, qua dicimus nos credere in Deum, nonnihil laxare videtur, latiuſque extendere, propriè tamen ſignificat credendo amare, credendo diligere, credendo in Deum ire, & eius membris incorporari, authore Auguſtino in Euangelium Ioannis, tràctatu 29. Is igitur verè credit in Deum patrem, & in vnigenitum filium eius Ieſum Chriſtum, qui non ſolum hoc credit, quòd pater genuit filium, verùm etiam quòd per hũc ipſum filium vti nouum Adamũ, etiam nos homines, ex vetere illo Adamo infeliciter generatos, ſibi regenerauit filios, nobis factus pater, nos hæreditatis regni ſui cum illo

illo vnigenito faciens consortes, ex pditis recuperatos, ex mortalibus, imò iã mortuis immortales, ex hoïbus DEOS: & per hanc fidem amore accenditur rapiturq́; tum in illum ipsum talem patrẽ, tum in vnigenitum illum filium, per quẽ hæc omnia perfecta sunt, tum in cæteros suos fratres, intelligens se iam in his ipsis amandis venerãdisq́ue ipsum patrem & filium eius vnigenitum amare ac venerari, iuxta illud, Amen dico vobis, quàm diu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Mátt.25.
Fides itaque Ecclesiæ Catholicæ hæc est, credere in Deum patrem omnipotẽtẽ, &c. hoc est, agnoscere, quòd DEUS omnipotens sit pater, nõ solũ illi⁹ vnigeniti sui filii, verũetiã noster, & quod incõprehensibili

ſibili & inexplicabili quodã amore noſtri, pulcherrimam hanc cœli terræq́; machinam condiderit, eandemq́; ad noſtram vtilitatem & ſalutem gubernet. Quæ fides mirabilem quandam beatiſsimãque ſecuritatem & libertatem in hominibus gignit, vt abiectis curis ac ſolicitudinibus huius mundi, toti ferantur & abſorbeantur in Deum, ſcientes talem patrem nunquam permiſſurũ eſſe, vt aliquid rerum bonarum deſit illis filiis, quos tam inenarrabili amore cõplectitur. Hæc eſt illa fides, in qua teſtimonium conſecuti ſunt maiores illi, quorum longum catalogum contexit Apoſtolus Hebr.11. & ſine qua impoſsibile eſt placere Deo, vt ibidem inquit. De hac fide dicit Ioannes: Hæc eſt victoria quæ

Obſerua hic, vnde habeat originẽ ſuam inuocatio ſanctorum.

1.Ioan.5.

quæ vincit mundum, fides veſtra. Quanta verò ſit huius victoriæ dignitas atque fœlicitas, intelligere eſt ex eo quod ait in Apocalypſi, Qui vicerit, dabo ei ſedere mecũ in throno meo: ſicut & ego vici, & ſedi cum patre meo in throno eius. Ecce quæ poteſt eſſe dignitas maior in cœlo & in terra, q̃ cum rege ac Domino cœli & terræ ſedere in regio illo throno, in quo ipſe ſedet, vnà cum Deo patre? Hæc fuit optimi illius patris volũtas optima, vt ſic exaltaret eos, quos tartareus ille Satan malitioſis illis dolis ſuis deceptos, in extremas miſerias deiecerat. Hæc etiam fuit optimi filii voluntas optima, vt ſeipſum ad hoc perficiendum impenderet. Vnde aditurus ſupplicium crucis, pro eis inuocat patrem,

Apoc. 3.

Ioan. 17.

trem, inter alia multa ſic dicens: Et pro eis ego ſanctifico meipſum, vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate. Et paulò pòſt: Et ego claritatem quam tu dediſti mihi dedi eis. Item: Pater, quos dediſti mihi, volo vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum. Hæc credere ita à Deo patre, per vnigenitum eius filium Ieſum Chriſtum eſſe perfecta, eſt verè credere in Deum patrem, et in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum. Hæc fides perducit ad iuſtitiam: & huius confeſsio parit ſalutem, iuxta verbum Apo-
Rom. 10. ſtoli, Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem cõfeſsio fit ad ſalutem. Fides, inquam, qua credimus in Deum patrem, tanta pro nobis filiis ſuis operatum: & in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum, per

quem hæc eſt operatus: confeſsio autem, qua hæc tanta beneficia confitemur, prædicamus, verbis, operibus, & quibuſcunq; modis poſſumus celebramus. Propterea cœlũ & terram creauit pater, vt ſic ditaret & exaltaret genus humanum. Propterea incarnatus eſt, paſſus eſt, & cętera quæ per ordinẽ pcurrũtur in ſymbolo, opatus eſt filius. Hæc fuit illi omniũ illorũ cauſa, hic ſcopus, hic nobis tãtorũ operum fructus. Voluit induere naturã noſtrã humanã, vt nos indueret natura ſua diuina: voluit fieri hõ, vt nos efficeret deos, nõ iã ex ſanguinib⁹, inqt Ioẽs, neq; ex volũtate carnis, neq; ex volũtate viri, ſed ex Deo natos. Pro nobis paup fact⁹ eſt, vt nos bonis regni ſui cœleſtis ditaret, faciens nos hæredes patris Ioan. 1.

ſui, ſuos autem cohæredes. Ea hæreditas iam quidem nobis parata eſt, nondum tamen eam nos qui adhuc peregrinamur in his terris, poſsidemus: ſed per huius mundi deſertum, per varias tentationum & ęrumnarum afflictiones, ad eã pertendimus. Ad illos autem qui iam poſsident eam, qui victoria potiti, vna cũ Chriſto in illo throno regio reſident, aſsiduè clamamus, vt nos ſuffragiis ſuis adiuuẽt: vt ſubueniant nobis, quia credimus hoc illos iam poſſe, potentia hac illis per Ieſum chriſtum incarnatum, paſſum, rediuiuum, & ad dextram patris collocatum parata. Ecce, hoc eſt verè credere in Ieſum Chriſtum, natum ex Maria virgine, &c. credere quod ſua natiuitate, paſsione, reſurrectione, & aſcen-

aſcenſione tantã dignitatem, gloriam, & potentiam comparauit electis ſuis: atque de his tantis beneficiis illum cum Deo patre, & ſpirituſancto laudare, glorificare, cum gratiarum actione benedicere: & effuſis ad illos ipſos quos ita exaltauit, precibus & hymnis, declarare nos nihil dubitare, ſed firmiſsima fide tenere, quòd hæc ita ſe habeant, hoc eſt, ore confiteri fidem ad ſalutem. Iam quæro, vtrùm hoc ſit nomen Chriſti obſcurare, an illuſtrare? Credere, inquam, quòd genus humanum beneficio Chriſti ſic deificatũ ſit: atq; hanc fidem inuocando & implorando patrocinium & auxiliũ ita deificatorum declarare, hoccine eſt nomen, ac beneficium eius obſcurare? Equidẽ puto, non poſ-

ſe illud alia ratione magis illuſtra-
ri, magis ſanctificari, & glorioſi-
us prædicari. Si quis ſciat aliquem
regi aut principi alicui ob inſignes
virtutes eſſe chariſsimũ, & ad ſum
mas in regno dignitates euectum,
& opibus ampliſsimis auctum:
atque hunc talem, eò quòd tantus
ſit apud regem, veneretur, colat,
obſecret etiam, vt ſe tum patro-
ciniis regi commendet, tum opi-
bus, qbus ditatus à rege ſit, in ſuis
neceſsitatib⁹ adiuuet: hiccíne regis
gloriam his rationibus obſcura-
uerit, aut vlla iniuria regem affe-
cerit? Nemo tam demens eſt, qui
hoc dixerit: quũ nihil aliud ille, q̃
dona regis, & regẽ ipſum in tali re
gis amico veneretur. Qui porrò ve
neratur aliquem, eò ꝙ ſit regi cha-
rus, quantò magis is veneratur re-
gem

gẽ ipſum? Atq; planè ſe hoc modo res habet, imò etiã multò magis, in chriſto, ac ſanctis Apoſt. martyrib⁹, cæteriſq; amicis chriſti. In his em̃ nullus eſt fucus, nullus dolus, nulla ſimulatio, nulla deceptio: ſed ſynceriſſima certiſſimáq; oĩa: adeo vt ipſe rex chriſtus ſibi oĩa fieri interp̃tetur, quæ fiũt illis amicis ſuis: ac viciſſim amici oĩa referãt ad gloriam & honorem regis ſui: cùm in rebus humanis, in aulis regum ac principum ſępe dolus, impoſtura, perfidia, & hypocriſis hæc vitiet. Cum itaq; Eccleſia Dei catholica, docta non ſolum à ſpiritu ſibi diuinitùs dato, vt ſe doceat omnem veritatẽ, verùm etiam clariſsimis diuinę ſcripturæ verbis, vt iam vidimus, credat firmiſsimè, p̃ incarnationẽ, natiuitatẽ, paſſionẽ, mor-

 tem,

tem, resurrectionem, & ascensionem Christi, genus humanum sic esse exaltatum ac deificatum, cum summa gratiarũ actione Deum in his, qui iam gloriam illã & maiestatem consecuti sunt laudat, & ipsos in Deo, cum inuocatione & imploratione opis ac patrocinii, donec & ipsa in hac militia victrix, eòdem quò illi iam peruenerunt, perueniat. Hæc fides totius Ecclesiæ catholicæ effecit, quòd ab eo tempore, quo Christus debellato inferno, sanctos illos è vinculis captiuitatis ereptos secum cœlo inuexit, quibus posteà suos Apostolos, martyres, & nominis sui confessores adiunxit, & adiungit quotidie, vbiq; per totum terrarũ orbem habet basilicas, & splendida templa, in honorem sanctorum

extructa, in quibus quotidie Deũ de tantis beneficiis in sanctis suis, & ipsos sanctos in Deo laudat & inuocat. Hæc est fides catholica, qua Ecclesia credit in Iesum Christum filium Dei vnigenitum, vt beneficia per ipsum accepta intelligat, agnoscat, & grato amore amplectatur ac veneretur, non solum in ipso capite, verumetiam in mẽbris totius corporis: presertim verò in illis tam honestis atque nobilibus. A qua fide quàm longè recesserit Martinus Lutherus, abundè declarauit, cùm in aliis multis, tum in articulis, quos suis dedit in generali Concilio proponẽdis, ita scribens, Inuocatio sanctorum itidem abusus est Antichristianus: & pugnat aduersus primum articulum præcipuum: & extinguit

Quomodo Lutherus vim fidei, prædictis articulis contẽtam abnegarit.

cognitiõem Christi. Quid ais Luthere? Hiccine tibi videtur abusus Antichristianus, sic exaltatos p̱ christum, vt iam sint vnum cum Christo, venerari, adorare, & inuocare, vt nos tum patrocinio, tum auxilio iuuent, vt & nos superatis malis peregrinationis huius, eòdem incolumes perueniamus? Igitur tibi Antichristus Basilius Magnus, hactenus laudatissimus Episcopus, & celeberrimus Ecclesiæ doctor? Is enim in encomio quadraginta martyrum, ita de illis ipsis martyribus scribit: Qui aliqua pręmitur angustia, ad hos confugiat: qui rursus lætatur, hos oret: hic vt à malis liberetur, ille vt duret in rebus lætis. Hos mulier orans pro filiis auditur: peregrinanti viro reditum incolumem

Testimonia, siue exẽpla. Basili⁹ Magnus.

lumem

lumem, ægrotanti verò ſalutem
implorat. Cum his ergo, marty-
ribus noſtris, effundamus preces.
Antichriſtus tibi, quem totus alio Theodoſius Imperator.
qui terrarum orbis agnoſcit ac prę
dicat Chriſtianiſsimum religioſiſ-
ſimũq; Imperatorẽ, Theodoſius,
cùm pro rep. & religione chriſtia-
na ſuſcepturus bellũ, ante martyrũ
thecas iacet proſtratus cilicio, & fi
da ſibi auxilia ſanctorum interceſ-
ſione poſcit? Antichriſtus tibi ſan-
ctus ille, & incomparabilis Eccle-
ſiæ doctor Aurelius Auguſtinus, Auguſtin.
qui cùm locis q̃plurimis inuoca-
tionem illorum nobis cõmendet,
& extremã dementiã nominet, du
bitare an hęc fieri debeat, tum ipſe
eos inuocat in ſuis p̃cibus, his ver-
bis in libro de ſpiritu & anima ca.
59. Vos igitur qui meruiſtis con-
ſortes

ſortes fieri ſupernorum ciuium & perfrui æternæ claritatis gloria, orate pro me ad dominum, vt educat me de iſto carcere, in quo teneor captiuus & ligatus. Similia legimus in meditationibus illius, & aliis locis quàmplurimis: in concionibus eius ad populum, vbi exhortatur ac docet inuocare eos, & in primis diuam virginem matrem. Quod nunquam auſus fuiſſet facere, niſi hanc conſuetudinem & fidem in Eccleſia & Eccleſiaſtica doctrina inueniſſet. Demonſtrari autem ea religio & conſuetudo etiamnum poteſt illis litaniis, quarum nonnullas inuenimus ante annos mille trecentos apud Eccleſiam in vſu fuiſſe, in quibus poſt inuocationem ſanctæ Trinitatis inuocat

cat etiam ſanctos cum CHRISTO iam in cœlo regnantes. In libro de cura pro mortuis capite quarto, vbi ſoluit quæſtionem ſibi propoſitam, ecquid prodeſſe queat homini vita defuncto, ſi corpus eius ſepeliatur iuxta corpus martyris, hæc ſunt eius verba: Cum itaque recolit animus, vbi ſepultum ſit chariſsimi corpus, & occurrit locus nomine martyris venerabilis, eidem martyri animam dilecti commendat recordantis & præcantis affectus. Sed quid ego hæc colligere pergo, quę ſunt innumera & infinita tum apud hunc, tum apud cæteros Eccleſię patres atque doctores? Quid autem tibi videtur Luthere, aut tibi, ô tu infœlix vmbra Lutheri, quam nuper illa Theſſalis Erichto Vmbra Lutheri.

ab

ab inferis euocauit, vt ſuper his rebus mecum diſceptares atque contenderes? quid, inquam, tibi videtur? An illi omnes tales ac tanti tibi ſunt Antichriſti? Totámne hãc Eccleſiam damnabis Antichriſtianiſmi, quòd eos quos Chriſtus per incarnationem ſuam aſſumpſit, per natiuitatem ſuam viſitauit, per paſsionem ſuam & mortem iuſtificauit, per deſcenſum ſuum ad inferos effractis illis carceribus eripuit, per ſuã reſurrectionẽ viuificauit, per aſcenſionẽ cœlo inuexit, iuxta ſe in ſuo ipſius throno ad dextrã patris conſtituit, ex dãnatis ꝓpter primi illius parentis Adę peccatũ, & morti traditis ipſe ſecũdus Adã cũ eſſet per omnia innocentiſsimus, depenſo pro illis mortis ſupplicio, è ſe renatos deos fecit

cit,(quotquot enim ibi ſunt, inquit in eodẽ illo de ſpũ & anima libro diuus Auguſtinus,dii ſunt: & Dauid in Pſalm. 81. Ego dixi, dii eſtis:)quòd eos, inquam,ita exaltatos, ita glorificatos, ita deificatos, veneratur, adorat, patrocinium, opem, atque illorum bonorum,quę ipſi iam æterna hæreditate poſsidẽt,iam ab omni prædone ac hoſte tuti atque ſecuri,partem ſibi adhuc in exilio hoc inter medios hoſtes laboranti ac pericli tanti aliquam impertiãt, inuocat, ideo tibi videt̃ Eccleſia Antichriſtiana? Atqui nihil aliud eſt,credere in ip̃m Chriſtũ,q̃ credere quòd Chriſtus hãc fœlicitatem illis,atq; omnibus q illorum exemplo recipere voluerint, à patre comparauerit:neque aliud eſt credere in Deũ

patrem

patrem, quàm credere quòd per vnigenitum filium suum redemptum genus humanum ad tãtam maiestatem exaltauerit. Qui itaq; hoc non credit, is neque in Deum patrem rectè credit, neque in vnigenitum filium eius. An tu putas ad hoc vt sit fides verè & ingenuè Christiana, satis esse credere, quòd sit Deus pater omnipotens, cœli terræque conditor, & quòd Iesus Christus filius eius, è virgine homo natus, passus, mortuus, rediuiuus ex mortuis, ac tandem conscẽso cœlo sedens ad dextram patris? Hoc etiam dæmones credũt. Hæc itaq; credere non est satis ad hoc, vt sit fides verè & propriè Christiana: sed horum omnium vim, virtutem, & fructum fide apprehendere, charitate amplecti, cum gra-

gratiarum actione in illis qui iam ea poſſident venerari, firma ſpe, & feruenti oratione iam non ſolum ad primarium illorum bonorum datorem Deum, verùmetiam ad eos, qui iam ſibi data poſſidẽt, effuſa, ad eadem cõtendere, hæ ſunt certiſsimæ ac propriæ notæ fidei verè Chriſtianę. Vnde non ſolum hæc noſtra Eccleſia Romana, quę nos peperit & enutriuit in hac fide, verumetiam exteræ illæ ac remotiſſimæ hanc eandem fidem, hanc eandem inuocandi Virginem matrem, & cæteros ſanctos iam cum Chriſto in cœlo regnantes, cõſuetudinem habẽt. Id quòd videre eſt in illis libris, qui iam de illarum Eccleſiarum religione ex Aſſyria & Aethiopia ad nos perferuntur, de illorum populorum reli-

Aſſyriorũ etiam, & Aethiopũ Eccleſiæ ſemp̃ inuocarunt ſanctos.

religione ac ritibus: in quibus etiã præcationes sunt ad sanctissimam virginem Mariam, martyres, atq; alios sanctos: item pro animabus defunctorum: ne quis putet hæc esse excogitata à Pontificibus Romanis. Non sunt ab his excogitata, sed ab ipsis Domini IESV CHRISTI Apostolis accepta, credita, & obseruata ab vniuersali illa & Catholica Ecclesia, toto terrarum orbe diffusa: & nituntur his articulis fidei, & horum virtute continentur, quibus credimus in DEVM patrem, & vnigenitum filium eius Iesum Christum: vt qui hæc abnegat, is abneget vim, virtutem, & fructum sex priorum articulorum Symboli, quantumuis verba eorum ore crepet & iactet. Deus pater horum

tum omnium primarius fons eſt.
Ab hoc per verbum incarnatum
emanarunt in humanitatem Domini
noſtri Ieſu Chriſti, tanquam
vnguentum in caput. Hinc autem
in barbam ac totum corpus, adeò
vt etiam in oram veſtimẽti. Nónne
hoc tam ſtupendis & innumerabilibus
miraculis declaratũ eſt,
quæ tum ab ipſo filio Dei, tum
ab huius Apoſtolis, martyribus,
aliiſque ſanctis facta ſunt? Non
ideo IESVS CHRISVS homo
hæc accepit à patre Deo, vt
ſibi ſoli retineret: ſed vt electis ſuis
ea communicaret, non tantùm
ad fruendum, verumetiam aliis
qui egerent impertiendum. Vnde
Petrus ad claudum illum,
qui iacebat ante portam templi, Act. 3.
non dixit, orabo DEVM pro

te, vt te ſanet, ſed ipſe tanquam agnoſcens in ſe hanc poteſtatem diuinitùs ſibi datam, dicit: Quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula. Nónne adhuc in hodiernum vſq; diem fiunt miracula apud ſepulchra martyrũ? id quod etiam ipſe Martinus Lutherus in ſcriptis ſuis alicubi agnoſcit. Quod ſi tantam poteſtatem habuerunt in corporibus adhuc mortalibus, imò ſi ipſa eorum oſſa iam exanima tantã adhuc vim habent, quid credemus habere ſpiritus illorum, iam hac mortalitate exutos, atque in eum locum tranſlatos, vbi Deus diligentibus ſe præparauit tanta, quanta nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcẽdit? Hæc nos per fidẽ noſtram,

quam

ab Ecclesia didicimus intelligẽtes & agnoscentes, inuocamus eos, non solùm vt pro nobis intercedant: verumetiam vt sua potentia sibi à Deo data nos adiuuent ipsi,& de illis suis tam incomprehensibilibus bonis largiantur, nõ in hoc obscurantes gloriam Dei patris,& filii eius Iesu Christi, sed maximè illustrantes, prædicantes, atque laudantes eum qui tantam potestatem dedit hominibus. Ecce hæc est nostra fides Catholica de Deo patre,& beneficiis eius in filios adoptiõis,& de domino nostro Iesu Christo,& virtute incarnatiõis,natiuitatis,passionis,mortis,descẽsus,resurrectionis,& ascẽsionis eiusdem. Quam fidẽ cùm legamus in sanctorum patrum libris,non solùm eorum qui docu-

erunt & ſcripſerunt in Europa, ve-
rumetiam eorum qui in Africa,
Aſſyria, ac remotiſſima illa Ae-
thiopia, nos eam fortiter tenemus,
profitemur & confitemur tanquã
veram orthodoxam, à Chriſto &
Apoſtolis eius Eccleſiæ traditam.
Martinum autem Lutherum, qui
eam damnat, abuſum Antichri-
ſtianũ appellans, nos damnamus,
tanq̃ Antichriſtum, ex illorum ni-
mirum numero, de quibus ait Io-
annes Apoſtolus, Nunc Antichri-
ſti multi facti ſunt. Ex nobis pro-
dierunt, ſed non erãt ex nobis. Nã
ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent
vtiq; nobiſcum. Cùm itaq; ille ſe
hac perfidia ſegregauerit ab Eccle-
ſia, atque ita ſit mortuus, non ma-
gis dubitamus illum ardere apud
inferos, quàm ſanctos illos Dei,

Lutherus impingẽs Eccleſiæ Antichri-ſtianiſmum, ipſe ſit Anti-chriſtus.

1. Ioan. 2.

de

de quibus iam ſumus locuti, cum CHRISTO gaudere, triumphare, & regnare in cœlis. Quinetiam in hoc abnegauit virtutem paſsionis & mortis Dominicæ, quod aſſeruit iuſtum in omni opere bono peccare: & omne opus quantumuis bonum, eſſe veniale peccatum. Neque enim propterea natus & paſſus eſt, mortuusq́; pro peccatis noſtris Chriſtus, vt nos nihil pro his agamus aut patiamur, neque huius corporis mortem obeamus, cum res ipſa nos contrarium doceat: ſed vt ſibi incorporatos, ſuorum laborum, paſſionum, & mortis faceret participes, noſtra bona opa, afflictiones noſtras, noſtrã deniq; mortẽ in ſuis laboribus, paſsionibus, & morte ſanctificãs, quo per hæc ipſa reſur-

Dogma Lutheri, quòd iuſtus in omni opere bono peccet, quomodo aduerſetur articulis fidei.

rectionis quoque ac vitæ æternæ cum ipſo participes efficiamur. Nos in illo tanquam capite paſsi ſumus ac mortui:ille verò in nobis tanquam membris ſuis patitur & moritur vſque ad conſummationem ſeculi. In ſe quidem, hoc eſt, capite, mortu9 eſt ſemel, & non moritur amplius. In nobis autem, qui quidem in illo manemus, & illum in nobis manentem habemus, patitur & moritur aſsiduè: idque iam inde ab origine mundi, iuxta uerbum Ioannis

Ioan. 15. in Apoc. de agno, qui occiſus eſt ab origine mundi: quæ occiſio cœpit in Abel, teſte Auguſtino, & in Prophetis durauit, cæteriſq; Apoſtolis & martyribus: & durat in ſanctis membris agni, vſque ad cõſummationem ſeculi.

Omnia

Omnia illi9 noſtra ſunt,& noſtra illius,quatenus in illo manemus. Propterea noluit ſuos dicere ſeruos,ſed amicos. Vos autem dixi amicos, inquit, quia omnia quę-cunque audiui à patre meo, nota feci uobis. Nouimus autem uetere atq; adeò diuino prouerbio, amicorum omnia,tum læta,tum triſtia eſſe communia. Quod cõfirmatur etiam articulo fidei noſtræ, qui eſt de communione ſanctorum. Cùm itaque labores, afflictiones,paſsiones,& mors ſanctorum unum ſint cum laboribus, afflictionibus, paſsionibus, & morte Chriſti, qui his adimit meritum, adimit meritum paſsioni mortique Chriſti: qui hæc facit peccata, quemadmodũ Lutherus dicit,iuſtum in his omni-

bus peccare, & omnia opera eius quantũuis bona, eſſe venialia peccata, quid is aliud quàm ipſum Chriſtum facit peccatorem? Videtísne fratres mei, quantum perfidię & blaſphemiarum lateat in doctrina Lutheri? Nondum intelligitis, quàm non ſolum abnegarit, verùm etiam hoſtiliter impugnarit fidem Eccleſiæ catholicæ, ſymbolo illo comprehenſam, idq́; eo crudelius, quo magis verborũ recitatione ſimulauit ſe idem cum Eccleſia credere? Nónne ad eundẽ modũ Arrius impoſuit Conſtantino Imperatori, in recitatiõe Symboli Niceni? Abutebatᷣ is ipſius Symboli verbis, cùm tamen Symbolo contraria crederet atq; doceret. Sed reuertamur ad ſymbolum hoc noſtrũ, quod dicimus Apoſtolorũ: & videa-

videamus nunc etiã illũ articulũ, qui eſt de tertia ſacræ illius Triadis perſona, inter duodecim articulos ordine octauus: habet autem hoc modo, Credo in ſpiritum ſanctũ. Nũ de hoc ſpiritu idẽ credidit Lutherus, quod freta ipſius Domini Ieſu Chriſti verbo credit Eccleſia? Minimè, fratres mei. Hoc exercitatus aliqs theologus in multis docere poterit: ego in vno duntaxat, aut fortaſsis etiã altero demonſtrabo, quæ adeò ſunt manifeſta, vt vel à pueris intelligi queãt. Vtrũq; eſt, in Euãgelio Ioannis ca. 14. Vnũ eſt, quod Dominus Ieſus promiſit nobis fore, vt ille ſpiritus à Patre datus, maneat nobiſcum in æternum. Alterum eſt, quod ille nos, hoc eſt, Eccleſiam ſuam, docturus ſit omnia. Et capite 16. manifeſtè dicit,

Octauus articulus fidei, Credo in ſpiritum ſanctũ, à Luthero abnegatus.

dicit, ſe dum apud eos eſſet in car ne, nequaquam docuiſſe omnia. Adhuc multa habeo uobis dicere, inquit, ſed non poteſtis portare modò. Cùm autem uenerit ille ſpiritus ueritatis, docebit uos omnem ueritatẽ. Hæc ita promiſit nobis ipſa ueritas: & nos nihil dubitamus, aut (ſi quis fortè malit me ita loqui) Eccleſia nihil du bitat, ſed credit omnino ita fieri. Vnde fit, vt inſurgẽtibus in eam hæreticis, atque difficiles de fide ac religione quæſtiones mouentibus, colligat ſe in ſpiritu ſancto, atq; huius numine inuocato, de quæſtionibus illis diſceptet: & quod ſibi hic ſuggeſſerit ille ſpiri tus, hoc uti uerum amplectitur: & eum qui contradixerit condẽnat. Credit enim ſpõſi ſui uerbis, pro-

ꝓmittẽtis fore,ut hic ſpiritus ma
neat apud eã in ęternum:& quod
docturus ſit eã omnẽ ueritatem.
Quàm longe aũt hac etiam parte
receſſerit ab Eccleſiæ fide Marti-
nus Lutherus, hoc abũdè magnũ
eſt argumentum, quod adimit ei
poteſtatẽ cõdendi articulos fidei,
& mores legum : & conciliorum
omnium authoritatem è medio
tollit: nihil aliud illi relinquens,
quo ſe atq; doctrinã ſuã defendat,
q̃ externum ſcripturæ corticem:
ac ne hunc quidem totum,ſed il-
lis partibus,quibus ſua mendacia
prodi uidet , reſectum & mutila-
tũ. Atq; his rationibus mendacẽ
facit in ſuis promiſsis filium Dei,
& ſpiritum ſanctum ignauum &
ceſſantẽ in officio ſuo , quod eſt,
docere ſponſam Chriſti Eccleſiã
omnem

omnem veritatem. Ecce tam pulchrè consonat hac etiam parte fides Martini Lutheri fidei Ecclesię catholicæ. Placét ne etiam excutere articulum nonum, qui est de ipsa Ecclesia? Non opinor opus esse, in hoc tempus & laborem consumere, cùm ex his, quæ hactenus dicta sunt, omnes, quicunque modò legere dignabuntur, intelligãt, quid ille credat de Ecclesia: quàm nihil huic tribuat, quàm hanc spernat, conspuat, atque omnibus quibuscunque potest viribus oppugnet: adeò vt imperitis persuadeat, eam nusquam esse, nisi in sua secta. Hoc igitur omisso, transeamus ad decimum, qui est, Remißionem peccatorum. Bone Deus, quàm longè hîc etiam recedit à fide Ecclesiæ. Hęc enim credit homini

Nonum quoq; articulũ abnegauit Lutherus.

Decimũ articulũ abnegauit.

mini, qui crediderit & baptizatus fuerit, in ipſo baptiſmo remitti vniuerſa peccata. Lutherus autem contrà, illud quod eſt omniũ peccatorum caput, & dicitur originale, cõtendit per baptiſmum nõ deleri, ſed remanere: atq; tantam retinere vim, vt animam à corpore egredientem remoretur ab ingreſſu cœli, etiamſi nullum adſit actuale pèccatum. De illorũ verò peccatorum remiſsione, quę perpetrantur poſt baptiſmum, & remittuntur per pœnitẽtiam, quàm longè aliter credat ac doceat q̃ Eccleſia, nouerunt illi, qui doctrinã eius de pœnitentia contulerunt cum Eccleſiæ de eadem doctrina. Cũ itaq; de duodecim articulis fidei vix tres inuenire poſsimus, in quibus idẽ credat cum Eccleſia, qui ſunt, ſepti-

De reliqs articulis fidei.

ſeptimus de extremo iudicio, vndecimus de reſurrectione carnis, & duodecimus de vita æterna (ſi modò etiam de his idem cum Eccleſia credat: quod ego certè affirmare non auſim) in cæteris autem omnibus longè lateque receſſerit ab Eccleſiæ fide, quam Paulus aſſerit in Eccleſia eſſe vnam tantùm, quis non intelligit, quàm non poſſit eſſe viuum Eccleſię membrum Martinus Lutherus: cùm verum ſit Prophetæ verbum, iuſtum ex fide viuere? Iam igitur cùm ſatis demonſtratum ſit, quàm diuerſa fuerit Lutheri fides ab Eccleſiæ fide: & quàm diſcors ac diſſonans de ea doctrina, videamus nunc etiam id, quod tertio loco diximus, Eccleſiæ Catholicæ vbiq; per totum terrarum orbem eadem eſſe ſacra-

Hactenus demõſtratum, quomodo fidem Eccleſiæ abnegarit Luther^9, nũc quomodo & ſacramenta.

ſacramenta: quorum vis inenarra-biliter valet plurimum, inquit Auguſtinus, & ideo contempta ſacrilegos facit. Hęc Domin⁹ noſter Ieſus Chriſtus tradidit Eccleſię ſpōſę ſuæ numero ſeptem, quibus ad ſalutem filiorum vteretur: Baptiſmū Matthæi vltimo dicens, Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filii, & ſpiritus ſancti: & Marci vltimo, Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. De quo etiā Ioannes 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Pœnitentiam, Ioan. 20. Accipite ſpiritū ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. De quo etiam Matth. 18. Amen dico vobis,

Cōtra Fauſtum Manichęū lſ. 19. cap. 12.

Baptiſm⁹.

Pœnitētia

quæcunque alligaueritis ſuper terrã, erunt ligata & in cœlo: & quæcunq; ſolueritis ſuper terram, erũt ſoluta & in cœlo. Et ibidem interrogatus à Petro, quoties fratri, qui in ſe peccauerit, dimittere debeat, an vſque ſepties? Reſpondet, Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties. Significans remiſsionem peccatorũ ſemper eſſe paratam illis, qui pœnitentiam egerint. Tertium ſacramentum eſt confirmatio: de quo in Actis cap. 8. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant ſpiritum ſanctum. Et capite 19. Et cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit ſpiritus ſanctus ſuper eos. Quartum Euchariſtia: de cuius inſtitutione ſic ſcribit Matt. cap. 26. Cœnantibus autem eis accepit

Confirmatio.

Euchariſtia.

cepit Iesus panem & benedixit, ac fregit: deditq; discipulis suis, & ait, Accipite & comedite, hoc est, corpus meũ. Et accipiẽs calicẽ gratias egit, & dedit illis, dicens, Bibite ex hoc oẽs. Hic est enim sanguis meꝰ noui testamẽti, q pro multis effundetur in remissionẽ peccatorũ. De fructu autem huius sacramẽti verbum Dñi est Ioan. 6. Qui manducat carnẽ meã, & bibit meum sanguinẽ, habet vitam æternã: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Quintum est ordo, quo ordinantur, cõsecrantur, & mittuntur illi, qui populo in Ecclesia annũciant Euangelium, & sacramenta ministrant. De quo Rom. 10. Quomodo prędicabunt nisi mittantur? Et 1. Timoth. 4. Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est Ordo.

tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii. Et 2. Timoth. 1. Propter quam causam admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quę est in te, per impositionē manuum mearum. Et Tito cap. 1. Huius rei gratia reliqui te Cretę, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi. De Diaconorum ordinatione Actorū. 6. manifestus est locus, his verbis: Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orātes imposuerunt eis manus. Quod si diligentiùs attendamus, per hoc sacramētum missus & commendatus est ipse filius Dei, cùm spiritus sanctus in specie columbæ super eum descenderet, atq; vox patris de cœlo resonaret, dicēs, Hic est filius meus di-

Matt. 3.

us dilectus, in quo mihi complacui: quibus apud eundem Euãgelistam cap. 17. additur etiam pręceptũ, Ipsum audite. Is deinde misit Apostolos, dicẽs, Pax vobis, Sicut misit me pater, & ego mitto vos, &c. Apostoli verò alios, vt Paulus Timotheum & Titum: Petrus Clementem, Anacletum, & cæteros. Atque hi deinceps alios: quę missio durat vsque ad consumma tionem seculi. Sextum est matrimonium, de quo Paulus Ephes. 5. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. Sacramẽtum hoc magnũ est. Septimum, extrema vnctio. De hoc manifestè loquitur Iacobus in Epistola sua cap. vltimo. Infirmatur quis in vobis, inquit, in-

Ioan. 20.

Matrimonium.

Vnctio.

ducat presbyteros Ecclesiæ, & orēt super eum, vngētes eū oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eū Dominꝰ: & si in peccatis fuerit, remittentur ei. Ecce hæc habemus irrefragabilia sacræ scripturæ testimonia de septē sacramentis, quæ Ecclesia Dei catholica accepit à sponso suo Domino Iesu Christo, vt his vtatur ad salutem filiorum. Iā verò audiamus de his ipsis vocem Martini Lutheri in Captiuitate Babylonica: Principio, inquit, neganda sunt mihi septem sacramenta, & tantum tria pro tempore ponenda, baptismus, pœnitētia, & panis. Quanquam si vsu scripturę loqui velim, non nisi vnum sacramentum habeam, & tria signa sacramentalia. Nam eucha-

riſtia & abſolutio ſunt rememoratiua promiſsionis & adoptionis baptiſmi. Hæc eſt ſententia, hæc ſunt verba ipſius Lutheri de ſacramentis. Quibus manifeſtiſsimè clariſsimeque teſtatur ipſe de ſemetipſo, quàm longè lateq; diſſentiat ab Eccleſia, quantum ad ſacramenta attinet: cùm hæc in ſumma veneratione, & religioſiſſimo vſu habeat ſeptem, ab ipſo CHRISTO accepta, Lutherus autem ex his ſeptem vix vnum agnoſcat, neque in vllius adminiſtratione ſuſtinuerit ritũ Eccleſiæ. Quomodo igitur poteſt eſſe mẽbrum eius Eccleſię, quæ in omnibus per totum terrarum orbem locis eadem habet Sacramenta, eorundemq; eandem adminiſtrationem. Quando verò huius

membrum esse desiit, atq; ita mortuus est, quid aliud superest, quàm vt tãquam putridum membrum à corpore, aut inutilis palmes à vite resectus, & in ignem coniectus ardeat? Ostendimus ac demonstrauimus clarissimis rationibus & argumentis per omnia irrefutabilibus, quàm longè recesserit à fide Ecclesię Catholicæ de Deo patre, & huius pietate, benignitate, ac beneficentia in filios adoptionis, dũ recusat agnoscere dignitatem illã & maiestatem, ad quam ille hos per vnigenitum suum euexit. Item de ipso vnigenito eiusdem Dei patris filio, dum abnegat omnem illam dignitatem, fœlicitatem, atq; potentiam, quam is nascendo, patiendo, moriendo, resurgendo, ascendẽdo in cœlum, sanctis suis fratri-

ἀνακεφαλαίωσις.

tribus, & nunc cohæredibus, cõparauit & impartiuit. Tum etiam de ſpiritu ſancto, dum huic blaſphema quadam perfidia & impietate impingit, quod non faciat officium in docendo Eccleſiam, ſponſam filii, omnem veritatem, iuxta promiſſum ſponſi, hinc præceſſuri in cœlum. Tum de ipſa Eccleſia, quam perfidiſsimis perſuaſionibus apud imperitos omnibus illis donis & ornamentis, quibus à ſponſo ditata & ornata eſt, inſtituit ſpoliare. De ſanctorum etiam communione, quam non ſolũ inter ſe, tanquam vnius corporis membra, verumetiam cum ipſo capite habẽt. De remiſsione peccatorum, quæ cũ perfectè fiat in baptiſmo, ita vt nullum in baptizato remaneat

peccatum, ipſe id quod eſt omnium caput originale remanere aſſerit. De illorum verò remiſsione, quæ poſt baptiſmum admittũtur, & per pœnitentiam delentur, ipſe reiecta doctrina Eccleſiæ, palã impia docet, dum tollit illos gradus, per quos neceſſariũ eſt aſcẽdere, ſi velimus remiſsionẽ conſequi. Sũt autem hi, contritio cordis, confeſſio oris, & impletio operis, quod à pœnitentiã agente exigitur. De cõtritione hoc eſt illius impium pronunciatũ, Cõtritio, quę paratur ꝑ diſcuſsionem, collectionẽ, & deteſtationem peccatorũ, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animę ſuę, ponderando peccatorum grauitatẽ, multitudinẽ, fœditatem, amiſsionem æternę beatitudinis, & acquiſitionem æternæ

næ damnationis, hæc contritio facit hypocritam, imò magis peccatorem. Et hoc: Nullus debet ſacerdoti reſpondere ſe eſſe contritum, nec ſacerdos requirere. De confeſſione autem hoc non minus inuerecundum & impium: Nullo modo, inquit, præſumas confiteri venialia peccata, ſed nec oĩa mortalia: quia impoſsibile eſt, vt omnia mortalia cognoſcas. Et hoc: Dum volumus oĩa purè confiteri, nihil aliud facimus, q̃ quod miſericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoſcendum. De ſatisfactione verò ſic loquitur: Vehementer autẽ odi, & ſublatum vellem hoc vocabulum ſatisfactio: quod non modo in ſcripturis non inuenitur, ſed & piculoſum habet ſenſum, quaſi Deo quiſquã poſsit pro vllo pecca

to ſa-

to satisfacere, cũ gratis ille ignoscat omnia. His atque huiusmodi paradoxis aliis cùm vniuersam pœnitentiã euertat, audi in quod præcipitium miserum peccatoré abducat. Si per impossibile, inqt, cõfessus non esset cõtritus, aut sacerdos nõ seriò sed ioco absoluerit, si tñ credat sese absolutũ, verissimè est absolutus. Ecce hoc modo sublatis veris de pœnitentia & remissione peccatorũ sententiis tanquam gradibus, per præcipitium sui istius impii mẽdacii miseros in ipsa tartara ꝑcipitat. Huiusmodi portenta cùm in doctrinam de pœnitentia, & vniuersa remissione peccatorum inuexerit, nos putabimus illum credere remissionem peccatorum cũ Ecclesia? Imò verò quemadmodum
ciuf-

eiuſdem perfidiæ, incredulitatis, & impietatis eſt, credere nullum eſſe Deum, & credere, eſſe quidē Deum, ſed talem, qualem Horatius deſcribit Priapum: ita eiuſdē incredulitatis & perfidiæ eſt, nullam credere peccatorũ remiſsionem, & credere talem, qualem fingit Lutherus. Cùm itaq; certiſsimis apertiſsimisq́; rationibus demonſtrauerim, quàm longè receſſerit à fide Eccleſiæ Lutherus in nouem articulis, quis credat illum reliquos tres cũ Eccleſia credidiſſe? Nam ſi verè credidiſſet filium Dei venturum ad iudicandum viuos & mortuos, qui eſt ſeptimus articulus, & in eo iudicio redditurum vnicuique ſecũdum opera ſua, iuxta verbum Apoſtoli Ro. 2. nunquam docuiſſet Euãgelium

Signa, quibus oſtēditur, Lutherum nihil de ſymbolo verè credidiſſe.

gelium non exigere opera: neq; ipſe tam enormia flagitia auſus fuiſſet perpetrare, & in his ſine pœnitentia mori. Atq; hoc ipſum ſatis eſt argumenti, quod neq; de reſurrectione mortuorum, neq; de vita æterna, vndecimo videlicet ac duodecimo articulis rectè crediderit iuxta verbum Domini Ioan. 5. quo dicit, Venit hora, in qua oẽs qui in monimentis ſunt, audient vocẽ filii Dei, & procedent q̧ bona fecerunt in reſurrectionem vitæ: qui verò mala, in reſurrectionẽ iudicii. Hæc ſi crediſſet cũ Eccleſia Lutherus, nunq̃ docuiſſet, Euangelium nõ requirere opera, ſed ſolã fidem: neq; ipſe contra datã à ſe per ſolennia vota fidẽ, ſceleribus inauditis, omnem ordinẽ ac diſciplinã in Eccleſia Dei funditùs euertere

tere fuiſſet aggreſſus. Cùm igitur ea, quæ in Eccleſia præcipua ſunt, fidem & ſacramenta, cum omni honore ac dignitate filiorum Dei abnegarit, quid poteſt habere cũ Eccleſia & filiis Dei commune? quomodo cum his benedictis patris regnare ac triũphare in cœlo, ac nõ potius cũ maledictis illis diaboli filiis ardere in igne æterno? Sed videamus etiam illud inſigne ornamentum Eccleſiæ: neq; verò duntaxat ornamentum, verumetiã firmamentum, & propugnaculũ ꝓrſus inexpugnabile: quod ita proprium eſt ECCLESIÆ DEI, vt nulla vnq̃ ſecta habuerit, neq; habitura ſit vnq̃ aliquod huic ſimile. Quod nã eſt hoc propugnaculum? Hoc nimirum, quod eſt in ea vnitas ſpiritus in vinculo pacis, omnibus ſe

Lutherus non habuit vnũ cũ Eccleſia ſpiritũ, &c.

mutuò ferētibus per charitatem, quemadmodum demonſtratum eſt verbis Apoſtoli,&loco illo inſigni,quem ſuprà ex D. Auguſtini epiſtola 162.aſſcripſimꝰ. Quod ad vnitatem ſpiritus attinet, nullum poteſt huius euidentius eſſe ſignum, q̃ vnitas & concordia in fide,atque doctrina. In his igitur cùm longiſsimè receſſerit ab Eccleſia Lutherus, adeò vt fidem & doctrinam Eccleſiæ omnibus conatibus & machinis ſuis oppugnauerit,id quod iam copiosè & luculentiſsimè demōſtrauimus, nemo nō facilè intelligit, quàm non habuerit vnum cum Eccleſia ſpiritum Lutherus : ſed cōtrarium,& hoſtem eius ſpiritus, qui datus eſt Eccleſiæ, vt doceat eam omnem veritatem. Neque vllis

præ-

præterea argumentis ad hoc demonſtrandum eſt opus. Vinculũ autem illud pacis, quàm confregerit, diſcerpſerit, ac diſſipauerit Lutherus, non eſt opus vllis argumẽtis probare, cùm ipſi videamus, & cũ inenarrabilibus malis experiamur, necnon intolerabilibus doloribus iam per quadraginta annos ſentiamus omnes funeſtiſsima illa diſsidia, & cruentiſsima bella, irarum odiorúmq; incendia, ad quæ reſtinguenda & componenda iam toties fruſtrà conuenerunt ſummi totius orbis monarchæ, cum totius Imperii Romani principibus, adhibitis doctiſsimis viris: & iam denuò conuenturi ſunt ad calendas Septembres huius anni. Neq; tamen vlla hæc reſtinguendi componendiq; ſpes eſt, donec

Vinculũ pacis diſrupit Lutherus.

 princi-

principes intelligant ſcelera Lutheri, atque iuſtam huius condemnationem approbantes, impiam eius doctrinam in totum aboleant: atque orthodoxam illam Eccleſię Catholicæ, vnanimiter tecipiant atq; reſtituant: meminerint verbi ipſius Lutheri, quo ait, Quod ad conciliationem attinet, fruſtrà ſperatur. Iam verò quemadmodum Dominus noſter Ieſus Chriſtus pacis authores pronunciauit beatos, filios Dei appellans, Beati, in- inquit, pacifici, quoniam ipſi filii Dei vocabuntur: neq; dubium eſt, quin filii Dei, ex hac vita mortali migrantes, in illam æternam tranſeant, ibíque cum ſuo patre Deo beatiſsimum illud regnum cum gaudio inenarrabili poſsideant: ita eiſdem illis verbis per contra-

Matth. 5.

rium

riũ docuit, infœlicifsimos eſſe pacis diſturbatores, ac difsidiorũ authores, eoſdemq́; filios diaboli & eſſe, & rectè appellari:ideoque ex hac vita à ſuo illo teterrimo patre tenebrarum principe abripi, & ad inferos deferri, vt ibi cum illo ardeant in æternum. Cùm itaque talis fuerit hoſtis pacis Lutherus, atque tantorum difsidiorum author, quis dubitare poteſt, illum iam cum ſuo patre diabolo ardere apud inferos. Sequitur in definitione Eccleſiæ, Omnibus ſe mutuò ferentibus per charitatem. Videamus itaque, quæ fuerit charitas, quæ tolerantia in Martino Luthero, ſi fortè hîc aliquid in eo poſsimus inuenire, quod ſit ei commune cum filiis DEI, ex ſponſa atque matre illa om-

Neq; charitas, neq; tolerãtia fuit in Luthero.

nium viuentiũ Ecclesia. Sed adeò nihil inuenimus, vt omnia contraria. Charitas oĩa suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, inqt Apostolus. Et paulò antè, Non inflatur, non est ambitiosa, &c. Luther⁹ adeò fuit inflatus & ambitiosus, vt neminem in Ecclesia superiorẽ se sustineret, non principem, non regem, non Imperatorẽ, non pastorem, non doctorem, non Episcopũ, non Pontificem: sed omnes, cuiuscunque illi ordinis, magistratus, dignitatis, ac potestatis essent, si nõ probarent scelera vitæ, & portẽta doctrinæ Martini Lutheri, omni genere maledictorum, conuitiorũ, & execrationum insectabatur: id quod paulò pòst latiùs explicabimus, & luculentiùs demonstrabimus.

Charitas.

1. Cor. 13.

bimus. Cùm itaq; illis ipſis, qui hactenus Martini Lutheri impoſturis decepti, doctrinam eius ſecuti ſunt, teſtibus, extra Eccleſiã nemo ſaluus fieri poſsit: Lutherus autem nihil habuerit cum Eccleſia commune, non fidem, nõ doctrinam, non ſacramẽta, non ſpiritũ, nõ pacẽ, nõ charitatẽ: ſed oĩa hæc abnegauerit, inſectatus ſit crudeliſsimè, atq; horribilem in modum diſturbauerit vtriuſq; etiam ordinis magiſtratũ omnẽ, quos magiſtratus Deus ipſe inſtituit & ordinauit, vt eſſent populi ſui rectores, paſtores, cuſtodes: & quib⁹ ciuitatẽ ſuã tanq̃ mœnib⁹, muris, ac mõtibus muniuit (mõtes, inquit, in circuitu eius) hos, inquam, omnes omni cònuitiorum genere inſectando, & apud

Cõcluſio, Lutherũ nihil ſibi retinuiſſe cum Eccleſia cõmune, ideoq; ardere apud inferos.

Pſal. 124.

imperitam multitudinem, cui regendæ dati ſunt, traducendo per grauiſsimas ſeditiões de ſuis thronis & cathedris deturbare aggreſſus eſt: atque in his omnibus, multoque pluribus ſceleribus pertinaciſsimè perſeuerans mortuus eſt, hunc ego dubitabo iam cum diabolo ardere apud inferos? De hoc adeò non dubito, vt etiam nefas eſſe putem dubitare, illum ex hac vita, rectà deſcendiſſe ad inferos, ibique ſcelerum ſuorum dare pœnas, haud magis de hoc, inquam, dubito, quàm ſanctos illos patriarchas, Prophetas, apoſtolos, martyres, cęteroſq;, de quorum fide & iuſtitia conſtat, cũ Chriſto regnare in cœlo. Atq; hanc meam ſententiam eò liberiùs pronunciaui & pronuncio, quòd de eo dubitare

tare, coniunctum ſit cum grauiſsimo periculo ſalutis omnium, quibuſcunq; tū facinora tum dogmata illius innotuerunt. Quid enim pernicioſius, quid magis contrarium doctrinæ Chriſti, quàm credere, aut etiam ſperare, hominem qui in talibus facinoribus, & opinionibus tam peruerſis moriatur ſine pœnitentia, extra ipſam Eccleſiam, à qua ipſe transfugiens in caſtra hoſtis diaboli conceſsit: deinde per ſummum Eccleſię paſtorē, qui claues tenet, excluſus eſt & condēnatus ꝑ excōmunicationē: hūc, inq̃, talē poſſe ſaluū fieri, poſſe intrare in regnū Dei? Hoc ſi recipiaт, qs vnq̃ vigilias & labores in hoc ſit inſumptur⁹, vt vel qd de Deo, rebusq́; diuinis ſentiēdū ſit cognoſcat, vel volūtatē dei ſciat ac faciat?

quis vnquàm se eò demittet, vt potestati à Deo ordinatę subiectꝰ esse velit? Quibus autẽ, obsecro, rationibus homines isti sibi demõstrari volũt illud, quod de Luthero diximus, nempe quòd ardeat apud inferos? Vtrùm sibi testes ꝓduci volunt, qui viderint eum ad inferos descẽdere? an ipsi eodèm deduci, vt rem oculis suis corã explorent? Horum neutrũ fieri potest, neque vt fiant necessarium est. Collatione scripturarum diuinarum, & facinorum dogmatumq; Lutheri, res fiet omni luce clarior. Cùm autem in meo illo nuper edito libello, præcipua quædam illius tũ facinora vitæ, tum portenta doctri ri toti mundo etiam notissima, demonstrassem tot modis, tot locis diuinæ scripturæ, ex diametro

pugnare

pugnare cũ verbo & pręceptis Dei: damnata esse à spiritu sancto, tum per scripta Prophetarũ & Apostolorum, tum per antiquissimos, doctissimos, sanctissimos, laudatissimosq; patres atque doctores Ecclesiæ, tum per Oecumenica Concilia, tum per tot seculorum vsum, consuetudinem, & consensum totius Ecclesiæ: cũq; constaret Martinum Lutherum in omnibus illis, & multò pluribus quàm ego illic recensui, sine pœnitentia mortuum esse, nihil minus expectabã, quàm fore, vt quisquam tam esset ratiocinandi imperitus, vt non videret, ex illis tam multis & manifestis necessariò consequi id, quod ego scripsi, Martinum Lutherum ardere apud inferos, cùm tamen sua illa mortiferæ doctrinæ sica

ādhuc grassetur in terris. Quid hoc rationis est? quænā illa regula disserendi, reprehēdere conclusionē, cùm neq; in præmissis, neq; in argumentationis forma quicq̃ reprehendere queas? Nónne hi simile quiddam faciunt cani, sæuienti in lapidē, illo vnde is tortus est omisso? Aut redarguendę erant illæ tot scripturarū sententię, quas ego adduxi: aut negādū Lutherū fecisse & scripsisse ea q̃ ego illi impingo. Sed horum neutrū negari aut redargui potest: ergo necessariò concedendum, quod inde consequitur. Nō libet mihi, neq; est opus, ea hîc repetere, quæ in libello sunt luculentissimis verbis ac rationibus indissolubilibus expressa ac demonstrata. Quid autem præterea à me exigitur? Aut quidnā est, in quo peccaui

caui. Non licuit mihi hominem tam per omnia ſceleſtum, qui nos miſeros omnes tam inextricabilibus calamitatibus inuoluit & intricauit, attingere, nominare, notare, ſcelera eius indicare, dolos & impoſturas demonſtrare? Hoſtem, qui iam per quadraginta integros annos, tam grauiter, cum tanto, ac tam irrecuperabili damno turbauit Eccleſiam DEI, neque adhuc turbare deſinit, etiam poſt ſua illa execrabilia fata deſæuiens, ego huius Eccleſiæ filius, non audebo indicare fratribus meis, vt tandem aliquando excitati, ſceleſtum illum latronem, poſt tantas editas ſtrages, etiamſi eheu nimis iam ſerò, tamen aliquando deprehenſum & agnitum, è ciuitate exturbatum pro-

Repetitio iudiciorũ, quibus damnatus est Lutherus.

profligent? Demonstraui illum cõdemnatum esse ab ipso Deo in scripturis sanctis, quas nobis per prophetas suos, per vnigenitum filium, & huius Apostolos dedit, eò quòd fidem votorum suorum, quæ ipsi Deo & Ecclesiæ eius vouerat, irritam fecerit: neque hoc suo solius, & vno scelere contentus fuerit, sed innumerabilia prætere a hominum millia, atq; adeò omnes quoscunque potuit, ad idem audendum excitauerit. Cùm itaque Paulus Apostolus tam expressè dicat, viduam, quæ facto iã viduitatis voto postea velit nubere, habere condẽnationẽ, ego non audebo idẽ dicere de Martino Luthero, tot modis votifrago, atque tot millibus hominum eiusdem sceleris authore? Cùm ipse filius

1. Tim. 5. Pauli iudicium.

Dei

Dei Dominus noſter Ieſus Chriſtus tam claris verbis condemnet illum, qui recuſat audire Eccleſiam! Sit tibi, inquit, tanquàm ethnicus & publicanus: Lutherus autem non ſolum recuſauerit audire hanc, verùm etiam ſumma cũ impietate aggreſſus ſit ſpoliare omnibus illis, quorum gratia debet audiri, dum adimit ei poteſtatem condendi articulos fidei, leges morum, interpretãdi ſcripturas, & quicquid huius generis eſt, quo homines ſeditioſi, & cæteri flagitioſi ſunt reprimẽdi: ego verebor dicere, illum in tantis flagitiis ſine pœnitentia mortuum, iam ardere apud inferos? Et per meum ſilentium patiar tot millia hominum, cum tanto ſuo periculo, imò exitio, errare in eo, de quo

Mat t 18. Chriſti iudicium.

quo tam expressum habeo, & clatum ipsius Dei verbum? Qua ratione ego ipse potero condemnationem effugere, si cùm sim filiusfamilias de domo Dei, hæc fratribus meis non indicauero, vt sibi ab illo perdito, & iam olim condemnato, & pestiferis eius reliquiis caueant? Qui ore illo suo omnium, qui vnquam extiterunt impudentissimo, adeoque in spiritum sanctum blasphemo, non dubitauit sibi censuram sumere in omnia illa Oecumenica Concilia, quæ vnquam ab ipso Christo iam hinc ad patrem digresso, per ipsos etiam Apostolos, & horum succcessores oẽs sunt habita: quæ cùm certissimum sit, ab ipso spiritu sancto gubernari, ipsis Apostolis testibus, dum in ipsis Conciliis sen-

Lutherus, blasphem. in spiritũ sanctum.

ſententias ſuas non aliter q̃ his ver
bis pronunciãt: Viſum eſt ſpiritui Acto.15.
ſancto & nobis, non poteſt eſſe du
bium, quin reprehenſor illorũ bla-
ſphemus ſit in ipſum ſpiritum ſan
ctum: quæ blaſphemia ipſo Chri- Matt.12.
ſto teſte, neq; in hoc, neque in fu-
turo ſeculo remittitur: hunc ego
in tali blaſphemia mortuum, dubi
tabo dicere ardere apud inferos?
De hoc dubitare, quid aliud eſt,
quàm de veritate verbi ipſius chri
ſti dubitare? Diſsimulare autem
in tanta neceſsitate, vbi ignoran-
tia eius tam inenarrabilium malo-
rũ cauſa eſt, quid aliud eſt, quàm
Eccleſiam Dei, impio ſilentio, &
nefaria proditione hoſti crudeliſ-
ſimo diripiendam aut tradere, aut
ſaltem permittere, quod minimũ
à proditione differt? Quid dicam
de

Lutherus abnegauit ſcripturas diuinas.

de contumeliis eius in ipſam ſcripturam diuinam? Libros Machabæorum, qui etiam in ipſis Apoſtolorum Canonibus inter ſcripturas canonicas numerantur, reiicit, ne cogatur fateri, ſe impiè docuiſſe de precibus & ſacrificiis pro animabus defunctorũ, quaſi hæc nihil eis proſint: ſed excogitata ſint ab auaritia ſacerdotum. Sãcti Iacobi Apoſtoli epiſtolam contumelioſo vocabulo ſtramineam appellat, quòd aduerſetur ipſius dogmati de iuſtificatione, quam contendit ſola fide conſtare. Ex Euangeliſtis cùm ſolum Ioannem, ex epiſtolis autem Apoſtolicis, has duntaxat, primam Ioannis, priorem Petri, tres Pauli ad Romanos, Galatas, & Epheſios, eos eſſe libros affirmet, qui nobis

nobis Christum describant, & omnia doceant,quę nobis necessaria & salutaria sunt, etiamsi nullũ præterea librum,nullam præterea doctrinam,nequevideamus,neq; audiamus, quantam vim, quantam iniuriam faciat vtriusq; testamenti scripturæ,quis non videt? Hoc autem explicare, & singulos veteris testamenti,tum legis, tum Prophetarum libros, mysticos illos Psalmos, & quicquid eius generis est,perlustrare: & in his contemplari dominum Iesum Christum elegantissimis figuris nobis depictum: illa saluberrima vitę tũ præcepta, tum exempla: illas promissiones futurorum bonorum, quas Deus fecit sperantibus in se: illas tam graues, tam salutares ac necessarias admonitiones, ne ex-

tollamur in proſperis ad ruinam: illas tam dulces conſolationes in aduerſis, vt in his generoſam illã animorum noſtrorum celſitudinem, & fortitudinem inuictam coſeruemus: hæc, inquam, atque alia quàm plurima perluſtrando illos tot libros explicare, non breuis huius apologiæ, ſed immenſi voluminis fuerit. Præterea cùm diuus Auguſtinus pulcherrimè luculentiſsimeq́; diſcrimen inter Ioannẽ & cæteros tres Euangeliſtas exponat, totam illam & prolixã collationẽ concludens his verbis: Vnde iſti tres Euangeliſtę in his maximè occupati ſunt, quæ chriſtus in carne operatus eſt, & quæ præcepta mortalis vitæ exercendę, carnẽ portãtibus tradidit. At verò Ioannes ſupra nubila infirmitatis humanæ

manę velut aquila volat,& lucem incommutabilis veritatis acutiſsimis atq; firmiſsimis oculis cordis intuetur: hoc, inquam, cùm teſte Auguſtino, ſit veriſsimũ diſcrimẽ inter Euangeliſtas, Lutherus ſatis eſſe affirmat, cęteris prçteritis, ſolũ Ioannem legere. Quanto verò rectius iudicat Auguſtinus, illorum lectionẽ in primis eſſe neceſſariã, vt per illa humiliora paulatim aſcẽdamus ad hæc ſublimia, quæ habet Ioannes: id quod elegantiſsima figura ſignificatum eſſe indicat in patriarcha Iacob, qui nõ potuit impetrare nuptias Rachelis, niſi priùs ducta Lia. Nam Lia interpretatur laborans, inquit, Rachel autem viſus principium: vt intelligamus priùs nobis laborandum eſſe, q̃ poſsimus ad illã æter-

næ illius lucis ſacræ Triadis viſio-
nem peruenire. Lutherus autem
negat, Euangelium requirere ope
ra: ideo cuperet illos Euangeliſtas
extinctos, in quibus Chriſtus tam
multa, tam grauiter ac luculenter
de operibus præcipit. Præterea
cùm Chriſtus Eccleſię ſuę ſeptem
dederit ſacramenta, quibus ad ſa-
lutem filiorum ſuorum vteretur:
Lutherus eam his ita ſpoliare ag-
greſſus eſt, vt vix vnum reliquerit:
vti iam demonſtraui. Idcirco do-
lebat illi non omnes illas ſcriptu-
ras eſſe abolitas, quibus ipſius ſacri
legia ſic deteguntur. Nã (vt cætera
taceã) expẽdamus obſecro, quàm
illi fuerit moleſtum ſacramentum
Ordinis, de quo luculentiſsimæ
ſunt ſcripturæ Actor. 6. 1. Timoth.
4. 2. Timoth. 1. ad Titum 1. præte-

Sacramẽtum ordinis quare Luthero moleſtum

rea

rea Matthæi 10. Lucæ 9. & Marci vltimo. Sciebat hoc ſacramẽtum eſſe oſtium illud ouilis, per quod qui non intrat in ouile, ſed aſcendit aliunde, ille non eſt verus ouium paſtor, ſed fur & latro: id quod doctiſsimè luculentiſsimeq́ue demonſtrat Ioannes Ferus, in cap. 10. Ioannes Euangeliſtę. Vnde nõ eſt mirum, nõ ſolum Lutherum, verumetiam omnes hæreticos cæteros, optare hoc ſacramentũ, vnà cum omnibus illis ſcripturis, quæ de hoc tam clarè loquuntur, eſſe ſublatũ è medio: quippe, ꝑ quod aut ab ouili excluduntur, aut certè qui ſint deprehenduntur. Eã quæ eſt ad Epheſios in illarum numero retinet, quæ Chriſtum deſcribunt, & neceſſaria ac ſalutaria docent: quod ſuſpicor eum facere

propter verba illa quæ ſunt in 2. cap. Gratia enim eſtis ſaluati per fidem (& hoc non ex vobis, DEI enim donum eſt) non ex operibus, vt ne quis glorietur. Nam huiuſmodi detorquere ſolet ad ſuum dogma de iuſtificatione. Quæ verò capite quinto expreſſe ſcripta ſunt de ſacramento matrimonii, inuitis omnibus, eò quò ſibi libet, detorquet, vt nobis è manibus extorqueat matrimonii ſacramentum. Cùm autem illæ tres epiſtolæ, ad Romanos, ad Galatas, & ad Epheſios, omnium difficillimæ ſint, vt de his potiſſimum diuus Apoſtolus Petrus videatur locutus, cùm ſub finem ſecundæ epiſtolæ ſuæ ſcriberet his verbis: Sicut & chariſſimus frater noſter Paulus, ſecundum

da-

datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu: quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem: has sibi potissimum delegit Lutherus, vt harum per subdolas interpretationes deprauatione imperitos deciperet, cæteris, quæ non minus sunt plenæ saluberrimæ necessariæque doctrinæ, tanquam non necessariis reiectis. Ego itaque hominem tot modis sacrilegum, atque in tot tam enormibus sacrilegiis mortuum, dubitabo esse apud inferos, ibique dare pœnas suorum sacrilegiorum: idque non indicabo fratribus meis, vt sibi

Conclusio huius.

ab illius ſacrilega doctrina caueāt, ne & ipſi in eundem tormentorum locum veniant? Neque verò contentus fuit, Eccleſiam hanc militantem ita ſpoliare ſacramentorum panoplia, quibus diuinitùs armatur aduerſus hoſtem ſuum diabolum: verumetiam triumphantem illam in cœlo iam, honore victoriæ ſuæ, & gloria triumphi aggreſſus eſt exuere: adeò vt etiam ipſam omnium ſanctiſsimam virginem Mariam, Domini noſtri Ieſu Chriſti matrem, quam angelus Gabriel adhuc mortalem, & antequam filium Dei in vtero concepiſſet, ſalutans plenam gratia pronunciauit, & ſancta Elizabeth inter mulieres, hoc eſt, ſupra omnes mulieres benedictam: imò quam iuxta ipſius in illo Prophetico cantico

Quam impius etiā in Eccleſiam triumphantem Lutherus

In virginē matrē.

tico vaticinium, omnes generationes hominum beatam dicũt: hanc, inquam, nũc ſupra oẽs cœlos & ipſos angelorũ choros exaltatam, ille non eſt veritus nobis adhuc in terra repẽtibus, & quotidie peccantibus, æquare. Sic enim in ſermone de natiuitate ei⁹ loquitur: Idcirco velim quod feſtum eius dimitteretur: quia nihil de ea re habetur in ſcriptura: cùm tamen à Chriſto dicamur Chriſtiani, & ab ipſo ſolo pẽdeamus, vt ſimus Dei filii atque hæredes: & ita ſumus æquè tãti, quãta eſt ipſa mater Dei, & ſum⁹ Marię ſorores & fratres. Alioquin fit imminutio ſacro ſanguini Ieſu Chriſti. Quia per hunc ſanguinẽ omnes pariter expurgati ſumus à peccatis, ac poſiti in cœleſtia bo

na. Si hoc ita eſt, ſumus certè ęquè ſancti ſicut ipſa. Ecce, hæc ſunt illius in eo ſermone verba. Iam obſecro vos, viri ac fratres mei chariſsimi, expendite mihi hæc verba, & iudicate ipſi, quo loco dignus ſit, qui ita non modo ſenſerit, verumetiam publicè, tum viua voce pro concione, tum ſcripto coram toto mundo docuerit. De veneratione & inuocatione ſanctorum aliquando ita ſcripſit, in declaratione quorundam articulorum, quos calumniosè imputari ſibi querebatur: De ſanctorum interceſsione dico (inquit) & teneo cum tota Eccleſia, quòd ſancti venerari & inuocari debẽt. Quis enim hoc impugnet, cùm adhuc hodie viſibiliter apud ſanctorum corpora & ſepulchra, Deus per

us per ſanctorum ſuorum nomina miracula operetur? Hoc tunc quidem rectè ſcripſit Lutherus, ſecundum fidem, vſum, & conſuetudinem totius Eccleſiæ, ab eo vſque tempore, quo Dominus Ieſus victor diaboli, mortis, atque inferni, cum ampliſsimo triumpho, illa innumerabilia ſanctorum millia in cœlum inuexit. Verebatur enim adhuc, ne ſi manifeſtas ſcriberet blaſphemias, omniũ hominum iram & vindictam in ſe concitaret. Aſt vbi iam ſenſit ſtultitiam populi, & ad quæuis, quantumuis etiam abſurda & impia, credendum leuitatem, audite quęſo, quomodo hoc velum verterit, Inuocatio ſanctorum, inquit, itidem abuſus eſt Antichriſtianus, & pugnat aduerſus primum

mum articulum præcipuum: & extinguit cognitionem Christi. Hæc iam sunt eius verba, in illis articulis quos suis dedit in generali Concilio proponendos: quẽadmodum etiã suprà retuli. Cum itaq; Martinus Lutherus ita de operibus iustitiæ, de sacramentis Ecclesiæ, de honore, dignitate, beatitudine, & inuocatione sanctorum, atque ipsius Dei genitricis, scripserit & docuerit, in quem obsecro magis quàm in illũ conpetit illud Sapient. 2. Hęc cogitauerunt & errauerunt: excæcauit enim illos malitia eorum: & nescierunt sacramẽta Dei, neq; mercedem sperauerunt iustitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum sanctarum? Et cùm in ea malitia & cæcitate sit mortuus, ego dubi-

dubitabo dicere illum damnatũ ad inferos, illic ſuæ malitiæ pœnas luere: nec audebo admonere fratres meos, in primis autem iuuentutem fidei meę cõcreditam, vt ſibi ab illius peſtifera doctrina caueant, ne & ipſi in eandem cæcitatem, & condemnationem atque ſupplicium incidant? An verò ideo de hoc dubitabim⁹, quod nõ vidimus oculis noſtris illum ad inferos deſcendentẽ? Ad quid igitur ſcripturæ diuinæ? Ad quid tot ſacrorum Conciliorum decreta? ad quid tot ſanctiſsimorũ patrum ſententiæ? ad quid tot ſeculorum vſus, cõſuetudines, ſententiæ, & iudicia totius Eccleſię Catholicę? quibus omnibus tũ facinora, tũ dogmata Lutheri, non ſolum ea quæ nos hîc recenſuimus,

mus, ſed & alia quàmplurima pa làm condemnantur, neceſſarium eſt nos vel de veritate horum om- nium dubitare (quod fuerit pec- catum in ſpiritum ſanctum, qui il- la iudicia ſanctis ſuis inſpirauit) vel de damnatione Lutheri dubitare prorſus nihil: præſertim cum ſcia- mus illum in illis ſine pœnitentia & reuocatione mortuũ eſſe. Quid dicemus, quod Lutherus non ſo- lum illorum, quos iã dixi, verum- etiã ſuo ipſius iudicio condẽnatus mortuus eſt? Vnde verò hoc ſcire poſſumus? Hoc nobis verbis clariſ ſimis annũciat Apoſtolus Paulus, ita ſcribens ad Titum cap. 3. Hære- ticum hominẽ, inquit, poſt vnam & ſecundã correptionem deuita: ſciens quia ſubuerſus eſt, qui eiuſ- modi eſt, & delinquit, cùm ſit pro

Lutherus ſuo ipſius iudicio cõ demnatus

prio

prio iudicio cõdemnatus. An verò dubitabimus hoc D. Apoſtolo Paulo credere? Profectò, ſi quis de hoc dubitet, hunc ego planè pro impio, & ethnico ſum habiturus. Quid autem de Martino Luthero? Nónne ſcimus omnes, hunc non ſemel duntaxat, aut iterum, idque non ab vno duntaxat aliquo viro bono & pio, aut Epiſcopo vno, ſed toties, à tam multis, tam excellentis doctrinæ viris, nõ ſimplici verbo, ſed multis & magnis rationum voluminibus: quin etiam publicis diſputationibus, in frequentibus Imperii comitiis, coram Chriſtianiſsimo religioſiſsimoque Imperatore Carolo Quinto, tam grauiter admonitũ, correptum, atque conuictum, tamen adeò non reſipuiſſe, vt etiam

exem-

exemplo Pharaonis ſemper magis magisq́; ſit induratus? Quid igitur eſt quod dubitemus, quin quemadmodum hiſtoria Exodi nos docet de Pharaone, quòd is demerſus ſit in profundum maris, ita Lutherum demerſum eſſe in profundum inferni, & ſtagnũ ignis? cùm non poſsit eſſe irritũ aut vanũ verbum Domini, quo ait: Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur: neque illud Salomõis, Mortuo homine impio nulla erit vltrà ſpes. Porrò illud Eccleſ.7. Mortuo non prohibeas gratiam, nihil patrocinatur Luthero: cùm nõ ſit dictum de illis, qui in hæreſi, ſed his qui in domino moriuntur: quibus nemo vnquàm magis prohibuit gratiam, quàm

Matth. 7.

Prou.11.

quàm Lutherus ipſe, dum docuit populum, neq; eleemoſynas, neq; preces, neque ſacrificia pro eis eſſe offerenda. Quid igitur nunc aliquis poſt tam multas & euidentes demonſtrationes requirit? An adhuc exemplo Thomæ Apoſtoli incredulus, expectat, vt res ipſa ſibi oculis coràm inſpicienda, & manibus contrectanda exhibeatur? Hoc quidem per nos fieri non poteſt, exemplo tamen per omnia ſimilimo, tanquàm depicta tabula, poteſt exhiberi. Scimus priſcis illis tam veteris quàm noui teſtamēti patribus, Prophetis, Apoſtolis, aliiſq; hominibus ſanctis, quàm plurima formis viſibilibus eſſe exhibita: vt videlicet neque illis dubitandi, neque nobis in ſimilibus vlla non credēdi relinqueretur ratio.

Exēplo viſibili, tanq̃ imagine demōſtratur deſcēſus Lutheri ad inferos.

tio. Sic aliis in ſpecie viſibili per angelos: aliis per ſemetipſum facie ad faciem locutus eſt: aliis veritatem ſuam per ſigna & miracula oſtendit: vt huiuſmodi ceu pædagogiis paulatim formaret, & ad ſimpliciter ſine miraculis credendum induceret. Cùm autem nouum teſtamentum eſſet conditurus, nouam legem, nouum ſacrificium, noua ſacramenta introducturus, viſibilibus exemplis, ſignis, & miraculis ea nobis commendauit: vt cum baptizaretur à Ioanne, commendatus eſt, & manifeſtatus vocali teſtimonio
Matth. 3. patris, & præſentiâ ſpiritus ſancti in manifeſta ſpecie columbæ, vt Ioannes certò ſciret hunc eſſe filium DEI: & nos certò credamus, ita per illum eſſe conſecra-
tum

tum baptiſmum, vt nos ex aqua eius & ſpiritu ſancto renaſcendo, efficiamur filii Dei. Ita cùm in die Pentecoſtes effunderet in eos ignearum linguarum viſibili ſpecie ſpiritum ſanctum: idemque poſteà aliquoties faceret per verbum & impoſitionem manuum Apoſtolicarum, quid aliud quàm illos quidem palàm videre atque audire, nos autem piè credere docuit, quid per ſacramenta Eccleſiæ, præſertim illud quod Confirmationis dicimus, accipiamus? Cùm Ananiam & Sapphiram ſubitanea morte viſibiliter percuteret, quòd fraudem fecerint Apoſtolis, quid aliud nos docuit, quàm peccatum eſſe morte plectendum, ſi quis fraudem faciat illis, quos Act. 5.

ipſe conſtituit paſtores & rectores populi ſui? Similiter de cæteris ſentiendum eſt, quæ nimis longum fuerit nos hîc enumerando & explicando perſequi. Illi, quemadmodum de Thoma legimus, viderunt & crediderunt: Chriſtus autem beatos pronunciat eos, qui non viderunt & crediderunt. Nũc itaque ad noſtrum quod promiſimus exemplum, in quo Lutheri caſum tanquàm in tabula depictum videre & contemplari licebit.
Deut. 17. In Deuteronomio hoc modo præceptum legimus: Qui autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſraël: cunctuſque populus audiens timebit,

vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbiâ. Hoc eſt præceptum DOMINI, cum adiuncta pœna tranſgreſſoris. Iam videamus, quàm horrendo exemplo hanc legem ſit executus. Cùm Coreh, Dathan, Abiron, cum ſociis ſuę conſpirationis ac ſectę ſeſe opponerent Moyſi & Aaroni, quid de fine illorum nobis narrat hiſtoria Numerorum? Num. 16.
Dirupta eſt terra, inquit, ſub pedibus eorum, & aperiẽs os ſuum deuorauit illos cum tabernaculis ſuis, & vniuerſa ſubſtantia eorum: deſcenderuntq́; viui in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis. At verò omnis Iſraël, qui ſtabat per gyrum, fugit â clamore pereuntium, dicens, Ne fortè & nos terra deglutiat. Ecce, hoc eſt iudicium, hæc pœna illorum

rum, qui ſacerdotibus Dei, & præpoſitis Eccleſię Dei ſeſe opponũt. Iam videamus quid fecerit Martinus Lutherus, & in exemplo Coreh & ſociorum eius, exitum Lutheri ex hac vita contemplemur.

Qualis Lutherus in ſacerdotes Dei.

Nihil eſt opus hîc omnia repetere, quæ ille innumerabilia omni petulantia, ſcurrilitate, ſpurcitie, fœditateq́; pleniſsima euomuit, non in unũ aliquẽ pontificẽ aut ſacerdotẽ Dei, puta Paulũ Tertium, aut alium aliquẽ: ſed in vniuerſum illum põtificum & ſacerdotũ ordinem. Quẽ ordinem cùm hiſtoria Euangelica tã clarè doceat, ab ipſo Dño noſtro Ieſu Chriſto, in Petro tanquàm principali, & cæteris Apoſtolis, tãq̃ huius collegis, eſſe inſtitutũ: Martinus Lutherus editis tabularũ picturis, omnium quæ vnquàm

quàm in manus & conſpectũ hominum venerũt impuriſsimis fœdiſsimiſq;, tradidit eum ſcurris & ſannionibus illudendũ & conſpuendum, tanq̃ à cacodæmone cacatum, à furiis infernalibus enutritũ: ac tandem ſuper inferni os conſtituit, vt à dæmonibus accipiat coronam. In vna earum pingit eum ſcrofæ inſidentem, ſiniſtrâ geſtantem oletum humanũ, idq́; dextrâ per ſignaculum crucis benedicentem. Quid vobis videtur, viri fratres? vtrùm hęc à ſpiritu ſancto, an potius ab aliquo omniũ impuriſsimo cacodęmone, vidẽtur eſſe ſuggeſta Luthero? Ex fructibus, iuxta præceptum Domini, æſtimate & cognoſcite arborẽ. Eiuſdem puritatis eſt, quod in alia tabula exprimit põtificẽ excomunicatiõis ful- Picturę Lutheri i ſummum Pontificẽ.

men torquentem: ſuos autem au-
ditores atque diſcipulos ex aduer-
ſo detectis turpiſsimè fœdiſsime-
que natibus oppedere, reflexis in-
terim capitibus, & linguis ſcurrarũ
ſannionumq; more exertis. In pro
xima tabula depingit Pontificis,
coronis gemmiſque ornatam tia-
ram, ſed euerſam. Super hanc vnũ
è ſuis diſcipulis ſtatuit, multò q̃
dici poteſt fœdius nudato podice,
aluum in ipſam tiaram deiicientẽ.
Iuxtà verò ſtatuit duos alios ad idẽ
opus eadem verecundia ſeſe præ-
parantes. In alia producit Pontifi-
cem in ſpecie aſini, prioribus pedi
bus tibias vtriculares lyræ loco te-
nentem, eiſdémque canentem. In
alia facit ex eo carnificem. In po-
ſtrema verò iam ſemetipſum facit
carnificem Lutherus, & ipſum Pō

tificem vnà cum Senatu Cardinalitio suspendit in extructo à se patibulo. Singulis autem tabulis addidit sua apophthegmata, Latinè quidem, fœditate & scurrilitate omnium qui vnquam scriptis aliquid publicarunt, quantumuis barbari, ethnici, & impii, turpitudinem superantia: & tamen turpiora, quæ addidit lingua Germanica. Nihil iam dico de libris eius, tum in Pontifices, præsertim in Paulum Tertium, tum in reges & principes inauditâ petulantiâ scriptis: adeò etiam, vt iam ante multa secula mortuos, viros partim summæ doctrinæ ac sapientiæ, partim sanctissimæ vitæ, partim etiam martyrii ratione semper summis laudibus celebratos, ipse acerbissimis

Lutheri impietas etiã in illos antiquos Pontifices martyres.

conuitiis lacerauerit. Nam vt tace
am, quæ in optimum pontificem
Nicolaum primum euomuit, de-
lirum, insanum, sine Theologia,
tyrannum appellans, & impingẽs
Antichristianismum propter de-
cretalem quandam, & pleraque
alia: in Pelagium primum ea scri-
psit, in q̃bus quiuis homo corda-
tus & modestus, qui ea legit, non
potest non execrari hominis om-
nium superbissimi virulentiam:
vt ea quæ in Leonem primum, vi-
rum doctrina iuxtà ac sanctitate vi
tæ suspiciẽdum: in sanctum illum
Isidorum, quem per contumeli-
am canem appellauit: vt, inquam,
hæc, cum aliis quàmplurimis ta-
ceam, etiam ipsum sanctum pon-
tificem & martyrem Anacletũ, di
ui Apostoli Petri discipulũ, à quo
&

& presbyter ordinatus fuit, & q̃n-
tus ab eo in ſede Apoſtolica ſucceſ-
ſor: hũc, inquã, tot nominibus ve-
nerandum ac ſuſpiciendum pon-
tificẽ & martyrem, Martinus Lu-
therus non eſt veritus appellare te-
merarium, inſcium, ſcenicum, nu-
gatorem: deinde etiã porcũ. Quid
vobis de hoc cenſore videtur, viri
fratres? Qui hæc auſus eſt in illos
tam ſanctos, & iam ante tot ſecula
hinc in cœlum euectos, & cum
CHRISTO regnantes Pon-
tifices, hunc nihil miraculi fuit à
nullo ſcurrilitatis & maledicen-
tiæ genere in omnes qui nunc vi-
uunt temperaſſe. Iam nihil eſt
quòd miremur, quòd Carolum
Quintum Cæſarẽ, vnà cum Ger-
maniæ principibus auſus ſit ap-
pellare mendaces: quòd auſus ſit
ſcri-

Lutheri maledicẽtia & ſcurrilitas in Imperatorem & Prĩcipes Imperij.

ſcribere, Cæſarem edicta ſua è fumariis accipere: vt in epiſtola quadam eius contra duo Cęſaris edicta ſcriptum videmus. Et ad regẽ Angliæ: Vos principes, inquit, eſtis bullæ aquarum, & lentes capitis, nondum facti pediculi. Et alibi: Turpe & abſurdũ eſt, quòd Cæſar & Romani Imperii principes ita apertè nugas agant: at lõgè turpius eſt, quòd vno eodemque tempore contraria edicta publicant. Et iterum: Mendaces, inquit, ſunt, & obſtinati principes noſtri, nec homines ratione prędicti, ſed Germanicæ beſtiæ. Ecce, hæ atq; innumerabiles id genus aliæ, ſunt Martini Lutheri facetiæ in ſummas vtriuſque ordinis in populo Dei poteſtates, etiam in illis argumentis, locis, & cauſis,

ſis, quæ omnia ſummam graui-
tatem, cum timore atque tremo-
re, imò etiam cum lachrymis ac
precibus ſine intermiſsione in
tantis periculis ad Deum ſuſis,
poſtulabant. Iam hæc examine-
mus & expendamus, exigentes
ad regulam eorum, quæ tot locis
diuinæ ſcripturæ præcepta legi-
mus de exhibenda reuerētia, obe-
dientia, & honore omni etiam
poteſtati, eò quòd à Deo ſit: &
quòd huic reſiſtere, diuinæ ordi-
nationi reſiſtere ſit: & quòd huic
reſiſtēdi peccato ſemper annexa
ſit condemnatio, eademq́; grauiſ
ſima: quod tanquam in viua ima
gine videre eſt in hiſtoria de Co-
reh & ſociis eius: qui cum dehiſcē
te terra viui etiam cum tam hor-
rendo ſpectaculo ad inferos de-
ſcen-

ſcenderint, nos dubitare poſſu-
mus, eodẽ deſcẽdiſſe Lutherum,
tot modis etiam multò ſceleratio-
rem illis? Hoc ego tam certis argu
mentis mihi compertum, non au
debo indicare? non audebo pro-
nunciare? cùm tam neceſſarium
ſit ab omnibus hominibus ſciri, vt
ſibi diſcãt cauere? Nónne verbum
Deut. 17. Dei eſt, Qui autẽ ſuperbierit, no-
lens obedire ſacerdotis imperio,
qui eo tempore miniſtrat Domi-
no Deo tuo, aut iudicis (ſic enim
ex Hebręo ſonat) morietur homo
ille: & auferes malum de Iſraël:
cunctusq́; populus audiens time-
bit, vt nullus deinceps intumeſcat
Num. 16. ſuperbiâ? In Numeris autem exẽ-
plum eſt, in quo videmus eos, qui
ſuperbierũt aduerſus ſacerdotem
& iudicem, viuos etiam deſcendiſ-
ſe in

ſe in infernum,& opertos eſſe humo. Atque illud quidem ſacerdotium fuit vmbra duntaxat huius ſacerdotii,quod ab his pontificibus adminiſtratur. Illi enim ſedebant in cathedra Moyſi,qui fuit vmbra & figura Chriſti: hi autem in cathedra ipſius Chriſti, & vices eius gerunt: vnde dixit,Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit: qui autem ſpernit me, ſpernit eum qui miſit me. Cùm itaque Lutherus non vnum aliquem ex his, ſed vniuerſum ordinem, non ſolum ſpreuerit, verumetiam inauditis anteà contumeliis affectum in patibulum egerit: atque in his tantis ſceleribus non modò ſine omni pœnitentia, verumetiam gloriabundus permanens, ſceleratiſsimam

illam

illam animam efflauerit, nos dubitabimus illum cũ Coreh, Dathan, Abiron, Hon, atque illa impiorũ turba ardere iam apud inferos, ibiq́ue ex iuſtitia Dei, tot tam enormium ſcelerum luere pœnas? De hoc dubitare nihil aliud eſt, quàm de veritate verbi Dei dubitare, quo videmus talia ſcelera ad inferos condemnari. Nam de factis Lutheri dubitare non poſſumus, cùm horum teſtimonia non ſolum actionibus vitę, & viua ſua voce cùm adhuc ſupereſſet ediderit, verumetiam multis ſuis libris inſcripta ad omnẽ poſteritatem miſerit. Quòd ſi quis etiam noſtrę ætatis miraculis ſibi rem demõſtrari poſtulet, ô quãta mihi horum eſſet copia, ſi non abhorreret animus meus ab

Miracula noſtræ ætatis.

ab illorum cõmemoratione, propter illos miſeros, q̇bus ab illo ſceleſto in errorem, & peccata ſeductis, ea acciderunt: quorum lamẽtabilis caſus & mihi ꝓpter dilectionem, qua illos viuos complectebar, ſcribere, & aliis etiam propter propinquitatem legere, acerbum fuerit. Tametſi de pleriſque nunc etiam extant hiſtoriæ, hiſce proximis annis conſcriptæ & publicatę, partim Germanica, partim Latina lingua. Ego vnum duntaxat referam, quod neminem lædere, aut offendere poteſt. Scribit Chriſtianus Maſſęus, Chronicorũ lib. 20. Anno ſalutis 1527. die 20. Iulii Tornaci Lutheranum quendã, nomine Henricũ, fuiſſe combuſtũ. Is, vt ait Maſſæus, ſequenti nocte ſociis in carcere totus ardens apparuit.

ruit. Illis prę timore clamantibus, ait, Nisi ab errore cessetis, mecum peribitis in ęternum. Excitatus clamore carcerarius, consules vrbis aduocauit. Dicunt illis vincti, Facite de nobis quod volueritis, modò priùs confiteamur, ne cũ Henrico pereamꝰ. Hęc Massæus. Adderẽ & alterum, si tam scripto probare possem, q̃ propter fidem eius q mihi narrauit, nihil de eo dubito. Fuit mihi in hac schola Embricensi laborum socius Petrus Hompheus, nõ ille qui posteà factus est huius collegii Decanus, vir æterna mmoria dignus, sed huius patruelis. Is aliquando è sua patria nauigio descendẽs, secum habuit præter cæteros in eadem naue duos monachos. Hos cùm quidam factionis Lutheranę miris contume-

liis,

liis, conuitiis, & disputandi contẽtionib⁹ exagitaret, alter monachorum placidis quidem verbis, sed rationibus tam grauibus obuiauit, vt ille nihil haberet, quod contradiceret. Cœpit itaque deuouendo se inficiari vera esse quæ dicerentur à monacho. Si, inquit, ista se ita habent, perdat me subitanea morte hoc loco Deus. Atque vnà cum ipso verbo efflauit animam. Hæc ille mihi & multis aliis à se visa & audita retulit. Quæ in Commentariis Sleidani, & aliis libris leguntur, viris prudentibus ipsis legenda & expendenda relinquo. Tametsi Sleidanus exempla omnium clarissima omisit, quorũ narrandorum illi fuisset occasio præsentissima, vbi de bello Saxonico scribit: nisi nimium aduersata

fuissent factioni illi, in cuius gratiam Sleidanus ferè omnia scripsisse videtur. Desinamus itaq; de his tot modis probatis & manifestatis dubitare: & sinamus Lutherum ardere apud inferos vsque in æternum: cùm non posit mentiri scriptura, quæ dicit, Mortuo homine impio, non erit vltrà spes. Equidē optarim non solùm Luthero, verumetiā oībus hominibus, quotquot vnq̃ fuerunt ab exordio mū di, & futuri sunt, vsq; ad consummationem eiusdem, eam fidem & vitæ puritatem, quæ digna esset regno Dei. Quam vtinam illis comparare possem, nō solùm per huius meæ momentaneæ vitæ iacturam, verumetiam per acerbissimū aliquod genus mortis, quod libenter pro illorum salute obirē,
tan-

tantum abeſt, vt condemnatione cuiuſquam, & ſuppliciis miſerorũ delecter. Verùm cùm tam innumerabilis illorum turba ſit, qui ꝙ hęc non amplectantur; imò etiam hoſtiliter inſectẽtur, iuſto iudicio Dei pereunt, nos certè nec reprehẽdere debemus, nec mutare poſſumus iuſtiſsima illa iudicia Dei. Sperare autem eos, quos in tam manifeſta impietate mortuos eſſe conſtat, poſſe fieri ſaluos, hoc vt aduerſatur verbo Dei, & fidei Christianæ, ita valdè impium eſt, imperitis perſuadere: pium autem & necessarium, opinionem tam perniciosam omnibus hominib⁹ quoàd fieri poteſt, eximere: ne videlicet errore peſſimo decepti, incidãt in gehennam. Nónne eadem de cauſa Dominus Ieſus ipſe de-

pinxit nobis diuitem illum epulonem apud Lucã, in inferno flammis intolerabilibus ardentem? Non narrauit illud exemplum misericors & clementiſsimus Dominus, quod ipſe infelicis illius cruciatu delectaretur: ſed vt omnes diuites admoneret, vt ſibi caueant, ne per ſimilem diuitiarum abuſum in eadem tormenta incidant. Hoc eſt quod & me mouet. Video palàm, quàm innumerabilis hominũ turba ſecuta Lutherum in exitiũ corruat. Horum interitus mihi dolet: ſeruare eos ne pereant ſtudeo. Iniuſtiſsimũ eſt hac ratiõe mihi ſuccenſere. Nam dum ad exemplum illius diuitis reſpicio, credo etiam ipſum Lutherum mihi habere gratias, quòd hæc indico hominibus: queadmodũ diues ille petiit fratribus

Luc. 16

bus suis sua tormēta annūciari, nē in eadē inciderent: & cōsonat exēplum quod ex MASSÆO retuli de HĒRICO cōbusto. Quāobrē desinamus defendere vitā & doctrinā Lutheri: sed ad illud dispiciēdū potiùs cōuertamur, quomodo sublatis è medio illis venenatarum sagittarum pharetris, quas ille ad inferos descendens hîc reliquit, imperitorum saluti consulamus: qui pharetras illas cum illis veneno tinctis sagittis, in p̄sentissimū certissimūq; exitiū suum cōtrectant & versant. quęramus etiā ex pietate nostra remedia illis, qui vbique locorum tam multi sunt tam grauiter illis sagittis sauciati. Hoc nostri officii est, viri ac fratres mei in Christo Iesu charissimi, quibus Deus tantū iudicii dedit, vt collatis scriptu-

ris, hæc tam inenarrabilia damna, quæ hoſtis ille crudeliſsimus dedit, videre & intelligere poſsimus. Quinetiam ad vos, ô noſtrę dulciſsimæ patriæ Germaniæ principes Illuſtriſsimi, me iam conuerto, veſtras Illuſtriſsimas Celſitudines appello, & excito: expergiſcimini tandem aliquando, euigilate, ſurgite, & leuate capita veſtra: videte quomodo ſitis decepti, quomodo ſeducti, quomodo ab homine omnium qui vnquàm fuerũt ſceleſtiſsimo tractati. Doleant vobis tandem aliquando illæ intolerabiles contumeliæ. Quid porrò contumelioſius eſt, quàm quod vos vniuerſos, vnà cũ inuictiſsimo, clementiſsimoq́; Imperatore veſtro, non erubuit, non eſt veritus, inſimulare

Ad principes Germaniæ.

Quib' iniurijs affecerit principes Lutherus.

lare

lare mendacii, comparare bullis aquarum, & lendibus capitis? Quid calamitoſius, quàm quòd vos iam per quadraginta annos, in tam deteſtanda funeſtaq́; diſsi dia diſtractos, in tot tam cruenta prælia cõmiſit? nonnullos etiam veſtrum in afflictiſsimas captiuitates? Quis illas vrbium agrorũq́; vaſtationes, illas Eccleſiarum ac monaſteriorũ ſacrilegas direptiones & euerſiones, illas cædes, illas clades, illas principũ ac populorũ ſtrages vel enarrare ſufficiat, vel ſine lachrymis audire ſuſtineat? Atqui horum malorum omniũ ille vnus extitit author. Hęc quomodo perficeret illũ aſsiduè meditatum fuiſſe, ex multis eius verbis apertiſsimè deprehẽdi poteſt. Nónne imperito populo perſua

ſit, Euangelium etiam velle diſſi-
dia, ſeditiones, & bella: impiè
ad hoc ſuo more detorquens il-
liud verbum domini, Nō veni pa-
cē mittere, ſed gladiū: cū dominus
Ieſus ipſe verbum illud ſuum eo-
dem loco interpretetur clariſſimè,
quòd nihil minus quàm de iſtiuſ-
modi diſſidiis & bellis voluerit il-
lud intelligi: ſed de pugna quæ eſt
inter carnem & ſpiritum. Caro
ſuis affectibus ſepiſſimè vincit
homines, vt in gratiam vel pa-
rentum, vel liberorum, vel vxo-
rum, vel ſimili propinquitate
coniunctorum, aut ea faciant,
quæ aduerſantur legi voluntati-
que diuinæ: aut ea omittant, quæ
Deo poſſent eſſe gratiſſima. His
affectibus reluctatur ſpiritus.
Quin etiam nos ipſos perniciosiſ-
ſima

Matt 10. Euangelii locus impiè à Luthero ad excitādū diſsidia detortus, hic autem ad gēuinam ſententiā reuocatus

ſima φιλαυτία ſic amamus plerunque, vt ea quę nobis dulcia ſunt cōſectēmur: quæ verò placita deo, negligamus. Propterea dicit, Qui amat patrem aut matrē plus quàm me, nō eſt me dignus: & qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus: & qui non accipit crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus. Ecce, hic eſt ille gladius, quem venit mittere in terram. Nā alioqui in hoc venit, vt nos cū Deo Patre ſuo, & inter nos mutuò in ſumma pace, concordia, & charitate coniungeret, hoc nobis pro Ioan. 13. ſymbolo commendans, per quod oēs homines intellecturi ſint, nos eius eſſe diſcipulos, ſi dilexerimus nos mutuò: & beatos pronun- Matt. 5. ciat pacificos, eoſdemq́; filios Dei appellat. Vnde per contrarium

mani-

manifeſtum ſit, cuius diſcipuli ac filii ſint illi, qui nihil aliud, quàm diſsidia & bella quærunt. Chriſtus apud Eſaiã princeps pacis dicitur: diſsidiorum autem & ſeditionum princeps diabolus eſt. Paulus Apoſtolus ſuos Philippenſes obſecrat & obteſtatur his verbis: Si qua ergo conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua ſocietas ſpiritus, ſi qua viſcera miſerationis: implete gaudium meum, vt idem ſapiatis, eandem charitatem habentes, vnanimes, idipſum ſentientes: nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, ſed in humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes. Lutheri autem vbi de formula Miſſę ſcribit, hęc ſunt verba, Si quo caſu Concilium ſtatueret pro nobis, minimè omniũ velle-

Eſa. 9

Phil. 2

Pauli verba ad pacem hortantis.

Lutheri uerba, ad diſsidia claſsicum canentis.

lemus utraque ſpecie ſacramenti potiri. Imò tũc primùm in deſpectũ Cõcilii uellemus, aut utra tantum (ſic habet codex quo ego ſum uſus: ſuſpicor Lutherum ſcripſiſſe, alterutra tantum: nam hãc fuiſſe ſententiam eius, manifeſtũ eſt) aut neutra, aut nequaquã utraque potiri: ac planè eos anathema habere, quicunq; authoritate Concilii potirentur utraq;. Hæc Lutherus. Cum itaque Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſit princeps pacis, & huius Apoſtolus tantò animi feruore per obſecrationes & obteſtationes ea quę ſunt pacis & concordiæ quærat: Lutherus autem adeò nihil aliud quàm diſſidia, ut huc etiam impiè detorqueat ipſius Domini Ieſu uerba: quis dubitat cuius principis miles,

les, cuius poteſtatis legat⁹ & Apo-
ſtolus fuerit Lutherus? Chriſti ver
Matth.11. bum eſt, Tollite iugum meũ ſuper
vos, & diſcite à me, qa mitis ſum
& humilis corde, & inuenietis re-
quiẽ animabus veſtris. Lutherus
autem in omnibus tantam feroci-
am ſceleratiſsimi animi ſui ſpira-
uit ac declarauit, vt nulli poteſtati
cederet, ſed in omnes cuiuſcunq;
etiã ordinis ac dignitatis illi eſſent,
cõtumax & contumelioſus fuerit:
adeò vt palàm etiam ſcriptis profi
teretur, ſe velle eſſe cõtrariũ omni
bus: vt ſi Concilium ſtatuat hoc,
tum ſe velle illud: ſin autem Con-
cilium ſtatuat illud, tũ ſe velle hoc.
Et adhuc dubitamus, vnde no-
bis hæc tam funeſta diſsidia, tam
crudelia bella, tanta confuſio rerũ
omnium, tam nulla animarum
noſtra-

noſtrarum requies:ſed vbiq; quo-
cunque nos vertimus grauiſsimi
labores,& dolores omnium acer-
biſsimi? Neque verò eſt vlla ſpes,
nos vnquã ab his malis liberatum
iri, niſi vos ô ſereniſsimi Reges,
& Illuſtriſsimi principes, hæc con
ſideretis, hęc intelligatis, atq; ſce-
leratiſsimum illum, cum vniuerſa
doctrina ſua, à Deo iam olim con
demnatum & perditum, è ditio-
nibus & finibus veſtris profiige-
tis. Deus ipſum quidem gehennæ
incendio præcipitem dedit: cæ-
terùm, quod ante mortem ſuam
minari conſueuit, vmbra eius ad-
huc graſſatur: illi peſtiferi libri in
manibus imperitæ multitudinis
ſunt. Hæ ſunt illæ pharetræ, de
quibus dixi, grauidæ ſagittis hy-
dræ felle tinctis: quas dũ imperiti

Qua ratiõe recuperanda pax.

per

per imprudẽtiam cõtrectant, exẽplo Pholi & Philoctetæ, ſemetipſos incautè & lethaliter uulnerant. Hoc itaque ueſtri officii eſt, has pharetras undique conquiſitas dare incendio. Neque uerò moueat uos, quòd interdum piè ſanctequé loqui uidetur. Hæ ſunt artes diaboli, hæ ſunt illius ſceleſti ineſcationes. Nónne hac arte Sinon ille Vergilianus prodidit Troiam? Talia enim non ſunt à priſcis illis, antiquis, & ſapientiſſimis poëtis ſine magnis ſapientię myſteriis cõficta. Nónne ipſe etiam Diabolus aliquando confeſſus eſt Chriſtum, dicens, Scio quòd ſis ſanctus Dei? Quid autem cõtrà Chriſtus? Obmuteſce, inquit, & exi de homine. Nónne in Actis Apoſtolorum de puella,

Principum officium.

Artes diaboli uitandæ.

Marc. 1

Act. 16

ella, quæ habebat ſpiritum Pythonis legimus, quòd ſecuta Paulum, & eos quos is habuit ſecum, nominatim Silam, clamauerit, dicens: Iſti homines ſerui Dei excelſi ſunt, qui annunciãt vobis viam ſalutis. Quid autem Paulus? num libenter accepit hoc teſtimonium veritatis ab illo maligno ſpiritu? Dolens autem Paulus (inquit Lucas) & conuerſus, ſpiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Ieſu Chriſti exire ab ea. Et exiit eadem hora. Nõ eſt audiendus Diabolus, neq; Apoſtoli eius hæretici, etiamſi vera loquantur. Nunquam enim hoc faciunt, niſi dolo peſsimo, ad ineſcandum imperitos, vt capiant eos. Theologorum quidem officium eſt, tales lupos indagare & indicare. Epiſcoporum autem & princi- Theologorum officium. Epiſcoporũ & principum officium.

pum, eos censuris suis, pedis pastoralibus, nec non gladiis in hoc ipsum diuinitùs datis, ab ouilibus arcere & prohibere. Quod nisi fecerint, Christus sanguinem gregis sui à manibus illorũ requiret. Nulla ratione ferendi sunt, neque libri eorum vt à populo imperito legantur, neque ipsi in Ecclesiis, vt doceant. Est quidem hodie proh dolor maxima bonorum pastorum inopia. Attamen nullo modo ferendi sunt in Ecclesiis, quorum doctrina deprehensa est impura. Multò enim melius est etiam sine pastoribus errare oues, quàm pro pastoribus habere lupos. Quòd si Dominus DEVS hanc gratiam dederit, vt Episcopi & principes, dolo Diaboli principio per MartinumLetherũ, deinde

etiã p alios pſeudoprophetas, à Luthero excitatos, in tam atrocia diſſidia diſtracti, rurſus in concordiã, pacẽ, & mutuam charitatem conueniant, vt ſe mutuis officiis, tanq̃ fideles vnius Domini ac Dei ſerui, ad faciendum voluntatem DOMINI ſui, & abſentis domum bene gubernandũ, & pro cuſtodia eius fideliter vigilandum & excubandum, donec ipſe reuertatur à nuptiis, ſedulò adiuuent, iam ſtatim omnia, ſæuiſsima hac & nimium calamitoſa tempeſtate vaſtata, fœliciſsimè refloruerint.

Plurimum momenti eſt in repurgandis ſcholis. Nam hæ ſunt veluti fontes, è quibus omnia vel bona vel mala promanant. Et quòd Eccleſiæ paſsim aut nullos habent paſtores, aut pro pa- De ſcholis

ſtoribus lupos, hoc inde potiſsimum accidit, quòd hac horum diſſidiorum tempeſtate iuuentus in pleriſque ſcholis peſtiferis illis opinionibus vitiata eſt & ꝑdita. Vnaquæque ſchola ſuum habet catechiſmum, ſuam grammaticam, ſuam dialecticam. Sereniſsimus Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ, &c. rex, & Eccleſię Catholicæ fortiſsimus propugnator, Ferdinandus, ſuperioribus annis fecit publicari catechiſmum, continentem ſummam doctrinæ Chriſtianæ. Vtinam ita inter illius Sereniſsimam Maieſtatem, & omnes ſacri Imperii principes Illuſtriſsimos cõueniat, vt per totum Imperium ille Catechiſmus, & nullus alius prælegatur iuuentuti: niſi quòd in inferioribus illis & minutioribus

ſcholis,

ſcholis, necnon in inferioribus claſsibus maiorum ſcholarum, videtur vtile fore, vt pauciora quædam, & breuiora huius doctrinæ rudimenta, quorum illi puelli ſint capaces, ex eodem illo catechiſmo extracta, illis prælegantur: prouectioribus autem, catechiſmus totus. Nequaquam quod cæteros catechiſmos omnes damnē: (ſunt nonnulli inter eos etiam valde pii & commodi.) ſed vt inter nos omnes doctrinæ concordia ſit: qua neque Deo quicquam gratius, neque nobis qui docemus honeſtius, neque pueris quos docemus vtilius, neque ad ędificationem Eccleſiæ efficacius fuerit. Et excluderetur hac ratione occaſio, tenellis illis corruptæ doctrinæ venena inſtillandi: vnde incredibile dictu

eſt, quantum malorum in Eccleſiam redundet. Eſſet etiam illud valde vtile iuuentuti, vt eligeretur è tam multis quæ nunc extant grammaticis vna, quæ videretur puriſsima & compendioſiſsima, & ediceretur nobis ludimagiſtris omnibus etiam ſub pœna, vt non aliam quàm illam grammaticam prælegeremus. Remoratur enim pueros valde, quando ex vna ſchola, vt fit, in aliam tranſeunt, quòd ibi coguntur grammaticam ex alio ſcriptore eius, quàm ex quo cœperunt, perdiſcere. In Dialectica non eſt tam graue incommodum. Sed hæc obiter inſerui. Quod autem ad recuperandum Eccleſiæ pacem attinet, nequaquam ſatis eſt, Sacramẽtarios & Anabaptiſtas vel ad

Non min' Lutheri, q̃ ſacramentariorũ & Anabaptiſtarũ ſecta eſt extirpanda, ut fiat pax.

ad reſipiſcendum inducere, aut e-
tiam cogere, vel ſi nolint reſipiſce-
re, abigere in exilium, aliterue ſe-
cundum leges punire: ſed non
minus neceſſarium eſt hoc ipſum
de Lutheri doctrina, & illis qui
hãc defendunt, fieri. Nam is pri-
mus extitit author totius ſchiſ-
matis. Non ita multum refert
quam ſequaris hæreſim, modò
ſis hæreticus. Eccleſia Dei Catho-
lica vna eſt, ſponſa Chriſti, ma-
ter omnium viuentium. Quicun-
que ab hac deficiunt, illi incidunt
in laqueum Diaboli, & mortem,
quamcunq; etiam ſectam ſequan-
tur. Eccleſiæ Dei vna eſt fides, v- Eccleſia.
num baptiſma, eadem per omnia
ſacramenta, vnus præterea totius
domus Oeconomus, quẽ reliqua Sũmus Põ-
familia tota reſpicit. Cuius ele- tifex.

ctionem quidem inferioribus sacerdotibus bonis, ac spiritualibus populis concessit Deus: electionē verò sibi reseruauit, authore Anacleto epistola secunda. Quod si is malus esse incipiat, certè nostris conuitiis & cōtumeliis nunquam fiet bonus. Cùm itaq; iuxta hanc diui Anacleti, & illam quam in libro de componendis dissidiis adduximus diui Bernardi sententiam, necessariò sit tolerandus, equidē nullum video remedium praesentius, quàm vt precemur Dominum Deum, vt is vel hunc emendet, vel huic remoto meliorem sufficiat, vel pro sua diuina sapientia & bonitate, id quod nouit esse vtilissimum ad suam gloriam, & aedificationem Ecclesiae suae, faciat. Nam saepè fit, vt Deus pro sua inscru-

Quo remedio vtēdū aduersus malum Pōtificem.

inſcrutabili ſapientia ac bonitate ſalutem noſtram operetur etiã per ea, quæ nobis diſplicent maximè, & ſunt acerbiſsima, & quã-tum in ipſis eſt etiã peſsima. Cuius rei non poteſt eſſe clarius exemplum, quàm illud põtificum Iudaicorum, & cæterorum, qui crucifixerunt Chriſtum: quemadmodum in libello de componendis diſsidiis oſtendimus. Sũmus põtifex nunc cũ grauiſsimo noſtro omnium dolore belligeratur; idq; aduerſus eos, qui tanta pro Eccleſia Dei geſſerunt. Quis intelligit huius tam grauis & pernicioſi belli myſteriũ & cauſas? An verò nos propterea deficiemus ab Eccleſia, & nouas condemus ſectas? Abſit: ſed potius p̃cibus noſtris, & quibuſcunque

pоſſumus religionis ac pietatis officiis confugiemus ad Dominũ Deum, hunc deprecantes, vt pro ſua diuina clementia & miſericordia reſpiciat populum ſuum: vt & huic ipſi ſpiritum modeſtiæ, manſuetudinis, & obedientiæ: illis verò, quos huic dedit rectores atque paſtores, ſpiritum ſapientiæ, pacis, & omnis iuſtitiæ, largiatur. Nam ego ſemper vereor Deum iratum ſuperbiæ, contumaciæ, cæteriſque peccatis noſtris, velle per bella eorum, qui nos in pace regere debebant, peccata noſtra punire. Quare primus ingreſſus ad quærendũ pacẽ mihi videtur, vt vnuſquiſq; noſtrũ in ſeſe deſcẽdat, & ad regulam mandatorum Dei, quæ nec obſcura ſunt, nec difficilia, ſuam ipſius vitam in melius cõponat. De-

Prim⁹ ingreſſus ad quærendum pacẽ

inde

ſinde vt Epiſcopi & principes ſacri Imperii, Dei & Sereniſsimi Regis Ferdinandi ſanctiſsimę voluntati, atque adeo pio deſiderio ſe ſubmittentes, & memoria reuoluentes & expendentes, quę noſtra Germania, necnon regna & prouincię nobis vicinæ, per noſtrorũ malorum contagionem, iam in quadrageſimum vſq; annum ſint paſſæ, & adhuc patiamur omnes: & niſi Deus nos ſingulari aliqua miſericordia reſpiciat, atrociora etiam metuamus: & cogitent, qui authores, per quod genus doctrinæ nobis hanc tam horrendam tempeſtatẽ excitauerint, vt hoc genus doctrinæ vnanimiter cõdemnẽt, & in totũ aboleant. Hoĩes aũt q adhuc ſupſunt, ab eius doctrinę cõtagio infecti, quãtũ fieri poteſt, ſanare

ſanare ſtudeant. Quos autem deprehenderint inſanabiles, hos tanquàm lepra aut peſte laborantes, non patiantur verſari in populo ſano. Porrò abuſus, qui proh dolor nimis multi ſunt & enormes, & præſentem emendationem flagitāt, ex illorum virorum conſiliis, de quorum doctrinæ, fidei, & vitæ integritate conſtat, iuxta ſcripturas diuinas, & eos canones, quos iam habet Eccleſia, quātum ipſis poſsibile eſt, corrigant & emendent. Atq; interea Dominum Deum aſsiduis & ardentibus precibus deprecemur omnes, vt tandem aliquando funebribus illis & crudelibus bellis inter vtriuſque ordinis monarchas ſummos compoſitis, generale Concilium nobis

largiatur, in quo omnia componantur optimè.

Opinor, viri ac fratres in Domino Deo mihi charißimi, satis multas me, graues, atque firmas rationes reddidiſſe, cur in libello meo de componendis dißidiis ſcripſerim, Martinum Lutherum iam ardere apud inferos. Quibus rationibus inductus, in huius Apologiæ fine denuò dixi meam de componendis hiſce dißidiis ſententiam. Qua ſi quis habet meliorem, aut aliquid quod hanc ipſam confirmet, id proferat, ad gloriam omnipotentis Dei, ædificationem & pacem Eccleſiæ, matris noſtræ, ac noſtram omnium ſalutem. Quod ſupereſt, viri ac fra-

fratres, Pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda noſtra & intelligentias noſtras, in Chriſto Ieſu Domino noſtro Amen.

FINIS.

